





JUSTI VONDELII
JOANNIS
METANOEANGELI
LIBRI SEX.

JUSTI VONDELII
JOANNIS
METANOE-ANGELI
SIVE
POENITENTIÆ
PRÆCONIS,
LIBRI SEX

VERSIBUS LATINIS REDDITI.

AUCTORE *C. F.* DE *REES.*



HAGÆ COMITIS

Apud EUSTACHIUM DE HAAN,


MDCCLXI.

JUSTI VONDELII
JOANNIS
METANOE-ANGELI
SIVE
POENITENTIÆ
PRÆCONIS,
LIBRI SEX
VERSIBUS LATINIS REDDITI.

AUCTORE *C. F.* DE *REES.*



HAGÆ COMITIS
Apud EUSTACHIUM DE HAAN,
MDCCLXI.



JUSTI VONDELII
JOANNIS
[illegible]

SIVE

POENITENTIÆ
PRÆCONIS,

LIBRI SEX

[illegible]

AUCTORE [illegible]



HAGÆ COMITIS

apud EUSTACHIUM DE HAAN,

[illegible]


JUSTI VONDELII
JOANNIS
METANOE-ANGELI
SIVE
POENITENTIÆ
PRÆCONIS,
LIBRI SEX

VERSIBUS LATINIS REDDITI.

AUCTORE *C. F.* DE *REES.*



HAGÆ COMITIS
Apud EUSTACHIUM DE HAAN,
MDCCLXI.



Illuſtri, ac Reverendo admodum Viro,

AC DOMINO

JOANNI à STIPHOUT

EPISCOPO HARLEMENSI

DIGNISSIMO, &c.

Prodit Joannes rurſus in horridâ
Clamans Eremo; Carmine Belgico
Poëta pridem quem celebris
Vondelius docuit profari,

Illic; ubi ſe vaſtum in Yam Amſtela
Devolvit; Urbem dum mediam ſecat,
Turre in ſuâ quæ celſiore
Cæſareum Diadema geſtat.

* Illuc

Illuc Joannes ſe referens modò,
Rurſum Theatrum, ſed Latio ſubit
Celſus cothurno, iteratque promptus
Obſequium populi in ſalutem.

Notâ loquentem regna per omnia
Linguâ audit omnis natio cultior,
Laudetque Vondelî Poëſim,
Ingeniumque, ſtylumque Vatis.

Inſtar Tapetis texuit Artifex
Oracla quidquid priſcave, ſeu nova
Dixêre de Joanne, Fœdus
Qui ſtetit inter utrumque limes.

Aulæo in iſto cernitur Angelus
Chriſti ante vultum miſſus, & aſpera
Pla-

Planans viarum, deprimensque
Celſa; replensque profunda vallis.

Terret reorum ſaxea pectora
Juſti tremendo judicio Dei
Et Pœnitentiæ tenorem
Edocet ex animo dolentes

Jordanis undâ corpora diluit,
[Signum in Lavacri corda quod abluit]
Sic Milites, & Publicanos
Inſtruit, & lavat in fluento

Legis peritos, & Phariſaïcam
Coràm reprendit liberè hypocriſim;
Scribas redarguit doloſos:
Hinc odium ſubit invidorum.

Christum, reluctans, mergere flumine,
Dignusque sanctum cernere Spiritum
Capiti in aquis loti imminentem,
Dum Patris intonat altius vox,

Diu expetitum mox Hominem-Deum,
Gentis saluti, cominus indice
Ostendit, advenisse clamans,
Qui scelus auferat orbis, Agnum.

Palàm fatetur Præco rogantibus
Aræ Ministris à Solymâ; neque
Christum esse se Domini, aut Eliam,
Neve Prophetam aliquem vetustum:

Vocem modò sese esse, per aridas
Clamantis oras; ut Domini via

Pare-

Paretur, atque plana fiant
  Aſpera quæque, ſatis nec æqua.

Sic curat omnes, omnibus impiger
Morbis medetur, ſed variis modis
  Medicamen huic molle, alteri acre
    Pro ratione mali, propinat.

Reges nec ipſos negligit, aut timet.
Inceſtuoſos acrius arguit.
  Medicamen id Medicus ſalubre
    Supplicio capitis piavit.

Hæc, arte mirâ, Vondekii manus
Depinxit in ſex, ceu Tabulis, libris,
  Quæ, magne Vir, tibi offeruntur;
    Intuearis uti has frequenter.

Quod

Quod ſi cuiquam contigit; exprimat
Vitæ tenorem moribus ut ſuis
Suique muneris labore,
Illius, à quo habet ipſe Nomen;

In te, Joannes, cernere nunc licet
Novum Joannem, qui gregibus tuis
Ut Paſtor, invigilas ſtudesque
Omnibus omnia, ſemper idem.

Mones, minaris, blandiùs, acriùs;
Solaris, urges, inſtruis, obſecras;
Delicta Pœnitentiæ undâ
Ocyùs eſſe abolenda, ſuades.

Adeſſe monſtras indice Judicem,
Qui ventilabrum jam tenet in manu
Radici

Radici & arboris ſecurim
Appoſitam. Ruet illa jamjam.

Hanc dum propinas ſanam alimoniam,
Cunctis ſalubrem, pluribus at gravem,
Stomachoque duram exulcerato;
Suſcitat illa tibi quot hoſtes?

Scribis, Levitis, nec Phariſaïco
Livore, nec Doctoribus invidis,
Altariumve cares Miniſtris,
Atra calumnia quò paretur.

Zelus Joanni te ſimilem facit;
Paremque reddat te patientia!
Ad ſanguinem non reſtitiſti,
Præſul, adhuc. Trepidare noli!

Vi-

Vides; Joannes, [dum Tabulas vides]
Ut pugnet acer; nec trepidè ſibi
Juſſa exequatur, & cruentam
Non metuit tolerare mortem.

Ne ſperne Vatem, qui ſeriem hanc Tibi
Totam Latinis Verſibus offero,
Dicoque. Nec piget laboris;
Dummodo ſic potui placere

Illuſtriſſimæ Charitati Tuæ
devotiſſimus C. F. *de Rees Pr.*

JOAN-



JOANNIDOS

LIBER PRIMUS.

Nunc iter inſtituo [auſpicio ſtimulante Joannis,
Qui populum lachrymis docuit delere reatus]
Dirigere ante pedes Domini, Regiſque, Prophetæque,
Atque Sacerdotis: maculas quà pergat, Adami
Contractas morſûs infauſti crimine, mœſtis
Eluere ex animis, coram flectentibus Agno.
Fert animus magnum cantu celebrare Prophetam,
Dilectum Superis, & fuſo ſanguine clarum:
Fas quia non odium, nec flexit gratia; Regem
Inceſtum coram imperterritus arguit, atque
Impia fraterni damnat commercia lecti.
Sic micat è furvi lux aurea carceris umbrâ:

Sed negat obtutus divini ad luminis ortum,
Inflantique tubam (*) Metanœæ Aula obſtruit aures.
Innocuam jam quisque meam, ſine crimine, Muſam,
Quam vigiles curæ, & tenuis patientia victûs
Dura, piæque preces, &, non velut ignis Eliam,
Munit amor Veri, meditantem prælia cernet,
Et præludentem Chriſto: pugnæque diurnum
Campus habebit iter: Zachariæ à collibus ædis,
Fluminis uſque vadum ad patrii Jordanis, & ultrà,
Turribus elatis (†) Macheruns ubi celſa ſuperbit;
Umbrarumque apices ignavum ſpargit in æquor.
Ter ternis diſtincta choris pia turba, ſupernæ
Mentes, perpetuis celebrantes laudibus Agnum,
Præfectum Choreis; modulis dum Virgo pudicum
Non imitabilibus Sponſum, ſertiſque coronat;
Aſpirate meo veſtris Concentibus auſo!
Non Heliconis apex, ſed tu, Paradiſe, cacumen
Sufficies Vati: venis ubi jugis aquarum
Copia mille fluit, ſolioque elapſa Tonantis,
Atque Agni, placidis inter palmeta ſuſurrat
Vocibus, & vitrei ſuperat cryſtalla liquoris.

Hi

(*) Metanœa, Pœnitentia. (†) Urbs Herodis Regia.

Hi sunt Castalii latices, & Pegasis unda:
Hac Reges, Vatesque sitim restinguere quondam
Ardebant. Foveæ, deserta, & carceris umbra
Zacharidæ, vestras pleno si gutture lymphas
Hausero, transibunt in Eöum lumen, & hortum.
Tunc steriles assueta plagas celebrare Camœna,
Luxuriata modò, meliore induta cothurno,
Ibit Eremicolæ in laudes, quàm tota vetustas
Aut Trojæ excidium cecinit, Latiosve triumphos.
Nam liquet, ùt demissa levet, sublimia vertat
Omnipotens; rerum licet optima quisque canendo
Seligat; hunc meliùs, qui, quæ vult Numen, adoptat,
Optatum tetigisse scopum, dubitabile non est.
Tu, Vir magne, cui meritum caput infula cingit,
Et commune cui est nomen, munusque Joannis,
Hisce fave cœptis! Illi deserta Theatrum,
Undique quò turbæ Præconem audire docentem
Accurrunt avidæ, in Christi quas ritè parabat
Adventum, & culpas lachrymis delere monebat.
Urbs vix orbe minor Te conspicit istud agentem;
Vastus ad officium campus: Te turba docentem
Ex cathedrâ admirans audit: dum verba salutis

Commiſſis Paſtor gregibus fido ore miniſtras.
Ergò ades, O Præſul, noſtro huic cuicumque labori!
Auſpiciis mea Muſa tuis ſecura Joannem
Erüet è latebris, claràque in luce locabit.
Te, patere O! noſtra ut ſe jactet opella Patrono:
Nam ſic, ne Vati noceat mala lingua, cavebis.
Incircumciſis tandem ſubjecta gemebat
Terra Paleſtinæ. Solymam mavortia Roma
Subdiderat. Regni decus, imperiique Latini
Liviades ſceptrum, Auguſti privignus, habebat.
Præfecto ſuberat regio Judæa Pilato,
Romuleo ſubjecta jugo. Galilæa Tetrarchæ.
Paruit inceſto Herodi, Fratrique Philippo
Tractus Iturææ, cum Trachonitidis oris.
Lyſaniam infœlix paſſa eſt Abilena Tetrarcham.
Hæc Regni facies. Diris quoque templa fatiſcunt
Diſſidiis concuſſa, modò diviſa ſub Annâ
Suſpirant Socero, Generoque deinde Caïphâ
Alternante vices. Nec ſolum ſceptra coruſcat
Stemma leoninum Judæ: nec ſolus acerram
Vibrat Aäronis gnatus: Diadema, Mitramque
Proterit ambitio: nec amor ſceleratus habendi

Per fas, perque nefas metuit violare profana,
Nec sacra: Lex titubat: nusquam pietasve, fidesve.
Hac miserà rerum facie, prospexit ab alto
Omnipotens, Regnique memor, Gnatique Davidis,
Qui, Galilæa colens inglorius arva, latebat
Omnibus ignotus, meritæ quoque lucis egenus:
Quippe novo nondum procedens lumine cælo
Phosphorus ortus erat, Solis prænuncius almi,
Splendoris, lucisque Patris, fontisque salutis:
Præsagi quondam veluti cecinêre Prophetæ,
Afflati propiore Deo; dum, quo ordine, Reges,
Sacrificosque, Patresque olim docuêre futura,
Ac avidè optantes cunctos, ùt lumine tandem
Ardeat; & vatum sensis, dictisque, datæque
Vim, saxo impressæ, Legi velit addere factis,
Atque umbras veris, vivisque coloribus ornet.
Propositæ veluti tabulæ incumbitque, studetque
Usque adeò assiduus Pictor, pulchrumque laborem
Perficit, à vitâ donec non discrepet icon.
Uno quisque animo, postremo hoc tempore, Regem
Postulat, infami tandem qui libera præstet
Colla jugo. Quamquam voto falluntur inani:

Regna Deus ſiquidem nulli terrena ſpopondit,
Æternum ſed Regna poli manſura per ævum,
Et totidem ſervantem animarum millia Regem,
Quot primi quondam culpâ cecidêre Parentis.
Imperium ſine fine dabat, ſine limite Regnum:
Fœliceſque plagas, puris ubi veſcimur auris.

Tunc Pietas æterna, hominum miſerata ruinam,
Ærumnaſque graves, commoto ità pectore fatur:
Unicus ergò hæres, Soboles dilecta, meique
Imperii prægrande decus, mea gloria, Gnatus
Indutus carnem, longos inglorius annos
Deterat? Uſque adeòne latens vileſcat in umbrâ,
Agnitus à paucis? Fixi jam temporis urget
Terminus, è latebris tandem, caliginis expers,
Prodeat, à cunctis manifeſtâ in luce videndus;
Impoſtumque humeris munus, mortalibus ægris
Pharmaca ſufficiens, ſubeat, certamque ſalutem.
Quidlibet in dubiâ titubet pietate, fideque;
At data noſtra fides durando ſaecula vincet.
Ergò ſalutiferum cæli Prænuncius ævum
Occipiat, Superûm delectus munere ad iſtud
Ex utero Genitricis opus: mox limina pandat

Im-

Impiger imperii, Gnato calcanda, futuri!
Dixerat: atque animum valido ſuccenſus amore,
Ut promiſſa diu, firmataque fœdera jure-
Jurando ſtatuat factis, hominumque ſalute,
Protinus Aligerum arceſſit. Citus adſtitit ille,
Stellatam indutus trabeam, qui juſſa Tonantis
Exequitur ſollers, nutuſque obſervat heriles.
Angele! Cognatis nuper teſtate duabus
Vaticinans uterum, & numquam mandata morate,
Curâ [ait] at rebus ſollerti prompte gerendis!
I nunc! In terras præceps delabere cœlo!
Munia ubi ſemel, ac iterum non ſegnis obîſti,
Quaſque amnis Jordanis aquâ vagus alluit oras,
Davidis quondam tutas, dum viveret, armis.
Aſperæ Eremicolam latitantem rupis in antro
Admonitum volumus; ductus ut ſponte ſequatur
Numinis interiùs mentem ſtimulantis, & acer
Impia corda hominum, pulſo cacoëthe, reformans,
Intrepidus clarâ teſtetur voce propinquum
Inſtare Heroëm, furias qui deſtruat orci.
Scilicet umbrarum Legis tenuatur imago.
Tempus adeſt; terris ùt prima crepuſcula ſpargat,
Antè

Antè faces major quàm Lux diffundat in orbem,
Juſtitiæ ſplendor, Veri quoque lumen, & æqui.
I nunc, & præceps defer mea dicta per auras!
Hæc ait Omnipotens: Archangelus ocyor euro
Ad juſſum ſe accingit iter, nec ſegniùs alas,
Eöus veluti Phenix quas cærulus ornat
Luce color; ſparſoque ſuper diteſcit in auro
Purpura, divinâ coram luce explicat ardens.
Mille modis variata nitent per lumina pennæ,
Syrma velut Samii volucris, ſive imbrifer arcus,
Mille trahens varios adverſo ſole colores.
Ergò iter aggreſſus ſe tollit in aëra, pennas
Concutiens, plauſu reſonantes, terque, quaterque.
Excitat Aligerûm ſeries; comitantur Ephebum;
Quantùm acie poterant oculi obſervare volantem.
Intereà in terras præceps delabitur Ales,
Circumagens varios pennarum flexibus orbes.
Utque volat, pronam Solymorum deſpicit urbem,
Celſa coronatas quæ nubibus inſerit arces,
Ac incincta caput vicinis montibus effert.
Huc fertur, quà monſtrat iter Jordanis ad alveum
Horrida dumetis ſterilis deſerta Quarenti.

Vicinum terris tranans mox aëra pronus
Remigio alarum, noto ſuper imminet antro.
Non ſecus ac aquila, æthereas ſpatiata per auras,
Conſpecto tandem vivo de pumice fonte,
Depoſitura ſitim ad vitreas citò devolat undas.
Hîc humilis depreſſa latet ſpelunca Joannis,
Aligero quæſita, precum domus, inclyta moles,
Iſrêlis ſacrata Deo, ſeu ſponte creata,
Seu tude divini potiùs ſurgentia verbi
Rupibus è ſolidis antra: internique receſſus
Subſidunt gradibus. Silicum compage tenentur
Undique: lux arcto teſtudinis intrat hiatu;
Deſuper ut celſo graditur ſol arduus axe:
Inde vices ſubeunt umbræ, & variantur opacæ.
In menſam conciſa ſilex ſpectatur ad ortum.
Veſtibuli in medio modicæ dat membra quieti
Suppoſitâ Vates ſtoreâ, quam dextera lentis
Texuerat juncis. Adverſùs frigora, & imbres,
Pelliceâ ſtrictus zonâ, pia membra camelus
Tutatur. Sed dura fames hyemeſque, niveſque
Spernere ſæpe jubet. Dapibus ſatiatur inemptis:
Mandit enim junctis ſylveſtria mella locuſtis.

Fontibus hausta sitim restinguit limpida vivo
Unda fluens saxo. Brevioris tempora vitæ,
Horarumque vices fugiens determinat umbra.
Non ibi gallorum cantus, non rauca latrantum
Vox sonat ulla canum, rabidi sed dira leonis
Murmura, sacratis veriti dare vulnera membris,
Ac itidem trifidâ serpens dat sibila linguâ;
Sæpe Viri pedibus protritus colla recedit.
Dum blandi ludunt, positâ feritate leones;
Et mulcent caudâ, & vatis vestigia lambunt,
Egregiamque fidem majestatemque stupentes.
Fornicis in medio dependet lychnus, opacas
Discutiens umbras; si fortè admoverit ignem,
E silicis venâ excussum, siccisque receptum
Frondibus, arenti rapiens in fomite flammam.
Sic vigil orando multos produxerat annos
Solus, inops, meditans, & toto pectore promptus
Cœli jussa sequi; quò spiritus ire juberet.
Inclyta Thesbitæ meditatur facta Prophetæ,
Dicta quoque Amosidæ, & Malachiæ mente volutat,
Quæ quondam cecinêre viri. Nunc turbidus hæret,
Attonitus, variâ confusus imagine rerum;

Lin-

Lingua ſtupet; ſaxo, ſtatuæve ſimillimus adſtat.
Quis mihi, quî Juvenis ſpatientur in æthere ſenſus,
Explicet; aut quæ, adytis cælos invectus apertis,
Deque Deo licuit, Gnatoque arcana tueri?
Ezechiel veluti quondam Babilonia Vates
Rura tenens, reſoni Euphratis prope fluminis undas,
Plurima conſpexit variæ miracula formæ,
Luxuriata brevi, tenuesque abeuntia in auras.
Altiùs exclamat, tandem ad ſe mente reverſus:
O decreta ſtupenda Dei, Nomenque ſacratum
O benedicte, venis qui tali in nomine, Chriſte!
Eja Redemptor ades! Votorum hæc ſumma meorum.
  Vix ea fatus erat; paribus cum Nuncius alis
Adſtitit, & ſeſe coram mox Vate locavit,
Tantum iter emenſus, claràque in luce refulgens,
Ante oculos Juvenis tenebroſas diſpulit umbras:
Lampadis accenſæ fulgor perit. Hoſpitis ille
Egregii faciem viſu, totumque pererrat.
Lux, ſolita è tenui nuper deſcendere rimâ,
Deficit, & capiti radios vix ſpargit inertes,
Cæleſtis prorſus fulgore hebetata Miniſtri,
Cui Pater æternus tam grandia munia lætus

Crediderat. Dubius Juvenis ſtetit ilicet, iſtâ
Majeſtate pavens. Sed odor, diffuſus in omnes
Suavis Eremicolæ latebras, cor debile firmat.
Hīc coram, Juvenis, Gabrielem conſpicis, infit,
Qui tua, ter denis elapſis nuncius annis,
Ante aras tetuli Zachariæ exordia Patri.
Sume animos, & parce metu, qui nomen & omen
Non impar noſtro, cælo tribuente, mereris!
Hoc Deus Abrami ditat te nomine priſcûm
Ore Prophetarum, quibus & nil cedis honore;
Quantùm humilis ſis uſque licet; nec ſanctior ullus,
Profuſus gremio muliebri, vixit in orbe.
Audiit has Juvenis ſubmiſſo vertice voces;
Atque verecundo ſuffunditur ora rubore,
Ingenuuſque genas pingit pudor. Inclyta, prono
Has renuit laudes, tollens vix lumina, vultu.
Proſequitur Gabriel: Non hanc, Vir maxime, ſortem
Diffiteare, licet, tibi quam ſuprema voluntas
Addidit; antè etiam quàm te ſub pectore ſenſit
Eliſabeth, multoſque tulit pia pignora menſes.
Materno ex utero ſed enim ditaris abundè
Cœlitus; & ſacro cornu ſpiramine pleno

Unge-

Ungeris; ut præeas Meſſiæ. At Spiritus ille,
Ille Deus, qui pectus agit, vult debita ſolvas
Ocyus, & Chriſti pedibus via plana paretur.
Scilicet illa mihi fuerant data juſſa, tibique
Indicio prodenda meo: ut conſpergere lymphis
Corpora feſtines: populos quò flumine tinctos
Pœniteat ſcelerum; noxiſque deinde piatis,
Moribus in melius mutatis, omnis in unum
Servatorem hominum mundus pietate feratur.
Ut ſilici inciſas regio deſerta Tonantis
Vidit, & obſtupuit Leges, interprete quondam
Amramide; dignum pariter, juſtumque probatur;
Ut nova Lex populis inter deſerta feratur,
Cordibus humanis inſculpta. Oracula Vatum
Hæc eadem ſignant digito, claroque fatentur
Augurio; ut ſteriles terræ, colleſque maligni,
Sentibus, & dumis, ac horrida vallis ericâ,
Et deſerta diu ſitientia, perpete tandem
Luxurientur aquâ; fœcundent ſaxa liquores;
Candidaque inſolitis naſcantur lilia campis:
Terræ olim ſteriles, ventis urentibus agri
Exſucci, ſuperent fructu læta arva recenti.

Exoriare igitur; primâque in luce refulge;
Ut tua ſuccedens radiis Lux lumina major
Excipiat. Finem his Gabriel facit ore loquendi.
Olli demiſſo reſpondit corde Joannes:
Hæc ego ſuſcipiam? Meque his temerarius auſim
Ingerere, ipſa pedum Domini non vincula dignus
Solvere? Nam nimis, heu! vacuum nil diſtat ab Omni.
At quoniam jubet iſta Deus; parebitur ultro:
Sponte ſequar: noſtris faveat modò cælitus auſis.
Illius in laudem cedant decreta ſupremi
Numinis. Accinctus jamjam prænuncius ibo
Luminis æterni, & properanti limina pandam.
Ejà age, rumpe moras! Placeant modò noſtra Tonanti
Obſequia! Aſt aſini doluerunt mille Philiſtim
Mandibulâ cecidiſſe viros virtute ſupernâ.
Hæc humilis Juvenis defixus lumina terræ.
Angelus intereà paribus ſe ſuſtulit alis;
Feſtinuſque viam, quâ venit, ad aſtra relegit.
Ille, Dei in laudes effuſus, corruit ora
Pronus humi: & vultu tantiſper adhæſit arenæ;
Atque infrà ſe merſus abit; celebratque ſupremum
Voce Deum, memorem tandem, quam ſanxerat olim

Cum

Cùm Patribus, fidei, & properantem fœdera rite,
Perfectèque ſui obſequio complere miniſtri.
Ergò dies ſeptem, totidemque ex ordine noctes
Excubias jejunus agit, cœleſtibus æthrâ
Exultante choris, lapſis per inane coruſcâ
Luce, repercuſſis reſonante à vocibus antro.
Hoc animos, ſtimuloſque dabat mandata Tonantis
Occipere, Angelico è cælis interprete miſſa.
Editor intereà cæleſti lapſus ab arce,
Perſonat inſolitis Davidi obnoxia quondam
Regna modis, alacerque haud nocte, dieve quieſcens,
Ardua tecta petit, montiſque in culmine ſummo
Immortale canit ſignum; argentoque recurvo
Cæleſtem intendit vocem; quâ protinus omnis
Contremuit tellus: cunctas ſonuêre per urbes,
Gentis in adverſum raptæ, tumidæque, veternum,
Profligaturique inſomnia ſomnia cantus.
Lætitiam hinc alii, captat pars altera vanos
Inde metus, curaſque graves: ùt quemque maligna,
Seu melior mens intus agit. Jam limine aperto,
Per plateas vaga fama volat, trepidoſque penats.
Turba Sacerdotum, & ſacris Levitica pubes.

Vota

Vota Dei, templique tenax, his excita turbis
Evigilat; curiſque Synedria quaſſa, Senatum,
Conciliumque vocat, dubitans, quò vergere poſſint,
Sive boni, quicquamve mali hæc peregrina minentur:
Sive novas ſtringi deceat ſufflamine turbas.
At minor intereà torquebat cura Pilatum
Aut cohibere manu, aut variis agitarier undis
Turbarum ſinere Hebræos: modò tutus in aulâ
Præſidis officium, & Domini tueatur honorem,
Cæſaris imperio, Pompejo operante, potiti;
Romanoſque gerat, ſibi credita pignora, faſces.
Jamque Phariſæos inter non infimus heros,
Judaicæ gentis Princeps, Legiſque peritus
Moſaicæ, populi Doctor Nicodemus Hebræi,
Sollicitus magni Arimathidæ arcana Joſephi
Tecta Senatoris petit: ùt ſermone liceret
Liberiore frui: rumor quid publicus iſte
Fortè vehat, cupiens audire ac reddere voces.
Hi duo cultores juſti, par nobile, & æqui,
Ambo expectantes tribubus promiſſa ſalutis,
Vix in corde latens auſi ſed pandere Verum
Voce palam, veriti Phariſæos nempe furores;

His

His Arimathæum dictis compellat amicum;
Hos ubi secretum binos conclave tenebat:
Quæ nova per vicos omnes, per rura, per urbes
Fama volat? Seu quàm varia, & peregrina feruntur
De Gnato Zachariæ; qui vix agnitus ulli,
Hactenus arcanos coluit deserta recessus,
Abditus in foveis, patrii prope fluminis oras,
Usque latet? Sed quàm varium, & mutabile semper
Fama! Velut facies pleno spectabilis orbe
Jam contracta, modò reparans dispendia, lunæ,
Alternansque vices: quam nunc in cornua primùm
Surgere, nunc plenam tumido splendescere vultu
Cernimus, aut mergi, cornu pereunte, tenebris.
Quantus enim [memini] rumor montana replebat;
Zacharias quando ante sacras obmutuit aras;
Scilicet Aligeri dictis malè credulus; olli
Progeniem feram dum nunciat Angelus; annis
Frigidior quamvis torperet sanguinis humor;
Tardaque jam vetulæ marcerent viscera Matris
Grandævo consumpta situ, prolemque negaret
Elisabeth, sterilisque omni vilesceret orbi.
Nec longum; miratur Anus promissa fidelis

Non fruſtrata Deì. Gelidi nam viſcera ventrìs
In Partum tumuêre novum. Stupefacta Prophetam
Edidit, & ſerum ſuſpendit ab ubere fœtum,
Grande Sacerdotum capitis decus ornamenti.
Protinus Aronis, Superûm dìtata fàvore,
Solvitur ìn plauſus ſoboles, inopinaque jactat
Pignora, grandævis conceſſa parentibus. Ergò
Dilectam placuit Prolem appellare Joannem
Nomine, nec temerè, at Domino ſic præcipiente,
Et mittente Patri obſequio ſua juſſa miniſtri.
Qualia de Puero Gabrïel oracula fudit?
Gaudia quanta hominum Pueri tot millibus eſſet
Natalis paritura dies, quantoſque fidelis,
Atque Deo famulans, legeret pietatis honores;
Sobrius effugeret, menſaſque horreret opimas,
Vinaque; ubi tenui concedìt ſycera lymphæ.
Ex utero Matris divino lumine plenus;
Ac homines tandem cælo tranſcriberet omnes,
Quotquot adhuc ſupereſt divini mica timoris.
Magnanimus ſed enim, rigiduſque, imitatus Eliam,
Cultus amore, metuque, ſacro prænuncius ore
Proderet, & feſſo Meſſiam oſtenderet orbi;

Per-

Perfectamque Deo plebem, gratamque ſacraret,
Et vitam in meliùs, deterſâ labe, pararet.
Tanta quoque Angelicæ firmavit nuncia vocis
Perdita vox, animi dubitantis pœna, Parentis:
Ille timebat enim, ne tot promiſſa Tonantis
In ſenibus forſan ſperato fine carerent.
Omnem pro foribus templi miracula plebem
Longa tenent, muto tandem quod prodeat ore,
Egreſſuſque adytis, ſe viſum habuiſſe notavit
Nutibus, & docuit diſpendia vocis ademptæ.
Nec ſtetit hic rerum cumulus: Sed fertur in ore
Omnibus, in gremio Puerum exultaſſe Parentis,
Trans uterum Matris Dominum, mirabile dictu,
Inſolito motu ventrem de ventre ſalutans:
Nempe ubi Cognatæ Joſephi Sponſa ſalutem,
Ardua conſcendens, ac intra limina, dixit.
Hactenus inſolitum ſuſpectum tale manebat
Prodigium, & tandem neglectum evanuit omne.
Extemplò Herodes, avidus ſua ſceptra tueri,
Compita crudeli violat Bethlemica cæde;
Sanguineamque puer ſatiavit bimulus iram,
Imperii tutandi ergo: ſi forte recentis

Innocuum Regis profunderet enſe cruorem.
Inter tot clades, cognati ſanguine, nullâ,
Effugêre necem, terrarum parte reperti:
Quantâcumque etiam geminos induſtria curâ
Quæreret, at fruſtrà. Soboles aliquando Joſephi
Conſpicienda data eſt: venientem gloria famæ
Magna ſequebatur; ſubitòque extincta peribat.
Zachariæ verò Proles, immerſa tenebris
Hactenus in foveæ, vix & ſpectabilis ulli,
Deſertiſque locis hominum commercia vitans,
Delituit. Captumque meum, quò talia vergant,
Exſuperat rerum novitas. Jam turba piorum
Hâc tandem famâ venturum ſperat anhelo
Pectore Meſſiam. Me igitur, niſi ſit grave forſan,
Nunc percontantem doceas, rerumque latebras
Pande; quid in dubiis ſtatuendum, ediſſere, quæſo!
  Dixerat: aſt Arimathæus ſic deinde Joſephus,
Clariùs, arcanas trans Vatum ſigna tenebras,
Signatum aſpiciens, quàm quisquam Lege peritus
Antiquâ, at nimiùm perceptâ mente ſiniſtrâ,
Talia dicta refert: Animo depelle timorem!
Ne dubita! Jamjam dabitur, mihi crede, propinquâ

Lu-

Luce frui tandem, promiſſaque lumina per tot
Sæcula conſpicere! Ancipites cùm civibus urbes
Concit fama; probique caput ſublimè ferentes
Evigilant. Solidâ inſignis pietate propago
Prævia Meſſiæ ſperantes lumina, jam nunc
Exultant animo, & venienti applaudere certant:
Differat uſque licet tardantia ſæcula tempus.
In magnis trahit uſque moras ſuprema Voluntas.
Non ſemel hoc patuit. Quamquam patientia nobis
Deſit; in æternum nunquam non fœdera gaudet
Sancta Deus, toties cum Patribus icta, tueri.
Amramidæ lege ſcripta ſenis! Vix momine parvo
Indiguit; per ſex dum conderet omnia ſoles:
Attamen uſque moras placuit traxiſſe volenti.
Diluvio ùt modicas pereuntis conderet orbis
Relliquias; centum conſtruxit ſedulus annis
Navigium prægrande Noë: ſi forte prioris
Pœniteat vitæ mortales crimina faſſos.
Antè Jacobiades Phariam quàm ſcanderet aulam,
Et celſum coleret Pharao, fratreſque, paterque,
Depopulante fame Ægyptum, Canaänque; tèr anni
Præteriêre decem: partu ex quo pulchra Joſephum

Eſt enixa Rachel. Per quadraginta vagatæ
Bis ſenæ erravêre Tribus; Cananæa priuſquam
Ditia promiſſi tetigerunt rura coloni.
Hunc etiam prudens ſervat natura tenorem.
Suſtinet innumeras hyemes, & flabra, priuſquam
Surculus excreſcat, quantùmque cacumine nubes
Irritat, tantùm radice in tartara tendat.
Tunc cedrum vocitare licet; cui fagus, & ilex
Non ſpatio invitæ cedunt. Et menſibus orbes
Luna quater ternis bis ſenos ordine complet.
At ſemel æthereum tantùm circumvaga molem
Aurea lux ſolis revolutum perficit orbem.
Quàm verò lumen fax debile menſtrua ſpargit?
Quàm rutili contrà ſolis, validique calores?
Qualia vivificus loca per deſerta, per agros
Sol creat? E ſterili, qualem nec fabula Tempe
Fingit, humum fœcundam herbis, ac ubere glebæ
Suſcitat? Id Superis placeat modò. Deficit eſca?
Ille dapes vinumque recens, & poma miniſtrat,
Enectoſque fame, ventres quoque replet inanes.
Ergò Dei placito rata tempora deſine tandem
Lenta queri, Dominum mox laudature fidelem,

Hu-

Humanas ultrà tenebras qui cuncta gubernat.
Res fiet; cæli ut steterit trutinata Senatu.
Nec ratione caret dudum latitare Joannem:
Ut teneris nondum foliis admittere soles
Ausa, latet nodo, nec adhuc rosa mulcet odore
Languentes animos, aut deficientia membra.
Qui populis tandem Legis præcepta magister
Tradet; is immundi vitet contagia mundi
Sedulus, & Legem factis concordibus æquet:
Hæc dictis tribuunt robur. Nam discat oportet
Ipse priùs, reliquis tandem quod tradere tentat.
Sin minùs; in ventos abiens tinnitus inanis
Vocis inoffensas tacitè prætervolat aures.
Non sese audaci Doctor temerarius ausu
Ingerat in munus, sed cælo missus ab alto,
Ignibus ardescat propriis: ùt lucis egenus
Ad lucem accendat præeuntem illychnia mentis.
Non sic Amramides Taneos perrexit ad arces,
Isacidasque Tribus; nisi postquam ritè vocatus
Ex ardente rubo per amicos fomitis æstus,
Prodigiisque gravi virtute armatus; ut omneis
Conjectura levis fieret quo Numine missus:

An-

Antè nec arcanas profudit pectore voces
Fatidicus Samuel; quàm ſtirps Hebræa videret,
Iſtud onus placito ſeſe aſſumpſiſſe ſuperno:
Huncque priùs gererent ſterilis quàm viſcera matris;
Audivit ſobolem ſibi fœlix Anna futuram,
Quæ pia priſcorum veſtigia ponè ſecuta,
Labe repurgatum in meliùs componeret orbem.
Alloquio dignata Dei, precibuſque miniſtris
Æthera tranſcendens pietas infracta Joannis,
Omnia ſollicito libramine tempora penſat;
Ardentemque Viri zelum ſola iſta morantur:
Quò ſua divinum ſtimulans præcordia Numen
Juſſerit, ex utero Matris decreta, ſubire
Munia. Non alias valeo comprendere cauſas.
Temporis ergò moras patere! Et ſi longa morarum
Tædia continuent; id forſan noſtra meretur
Impietas. Tacuit poſt talia dicta Senator:
Promiſſàque fide, ne quiſquam ea dicta revelet,
Upietate Deum colerent, & ſemper anheli;
Donec ab excelſis lux exoptata micaret,
Atque ità ſecedunt multà ſpe pectora pleni:
Et Vatum ardentes oracula mente volutant.

In-

Intereà sacris data lux octava refulsit:
Ante diem portis Solymæ bipatentibus omnis
Turba volant avidi, passimque hinc, inde ruentes,
Complebant ripas loca per deserta Quarenti,
Cernere Eremicolam, certantque audire loquentem.
Undique conglomerata acies, matresque, puellæque,
Et senibus misti juvenes, cum divite pauper,
Armigerùmque manus horrentia rura tegebant.
Imbribus ùt torrens auctus, nivibusque solutis
Vere novo, fossas implet, cava vallis inundat
Spumiger, & vastum tandem restagnat in æquor.
Hinc, atque hinc avidos, zeli fervore profectos
Arbore de celsà, aut suspensos rupe cavatâ
Cernere erat; patuli aut acclivia montis inumbrant.
Omnes æquè avidi: finem sibi quilibet aptat.
Ardet amans: rerum sed plus novitate trahuntur
Corda superborum, quàm relligionis amore.
Censuram metuit, vestigatque omnia sollers
Impius; an quidquam inveniat, quod carpere possit.
Admissi sceleris quos pœnitet anxia mœsti
Ora gerunt: causam ridet temerarius omnem.
Erronum importuna cohors locupletibus ardent

Extorquere ſtipem. Multis experta periclis
Non modica armigerûm ſtabat manus. Incola ruris
Plurimus: innumeri cives: odioſaque cunctis,
Publica conductis quæ vectigalia lucris
Gens tenet: & tacitè muſſans Levita ſuſurrat,
Quorſum iſthæc? Legiſne modus patiatur & ordo
Talia Moſaicæ, inquirit. Legiſque periti,
Conſpicui proceres, Eſſeni cum Phariſæis,
Virtutem mentita cohors; prætexta doloſos
Obtegit, & longum circumdat littera lymbum,
Illuſtreſque notæ: ſibi plaudit hypocriſis; ollis
Moroſo pruritu aſinaria verminat auris.
Nempe ùt, quid placeat ſibi, diſpliceatve, procaces
Secernant; Môſisque volumina ferre laborant
Brachia. Qui tumidos reverenter adorat, amicus
Cenſetur: Legis ſcita in ſua commoda torquent.
Forma loci modicis circumdata collibus; in quo
Fortè Viri adventum plebis cunctatur anhela
Turba locuturi, vaſtum velut amphitheatrum;
Mentem ubi, cunctorumque oculos perſona moratur
Ventura in ſcenam. Tandem gravitate decenti,
Per cuneos hominum Vates procedit; ad ortum

Obverſus faciem, tali ſe parte locavit;
Planta perorantis firma ut veſtigia figat,
Bina ubi transverſum palmarum robora lignum
Suſtentant. Juvenem cùm quiſque ſalutat honorans,
Hic pariter mutâ reſalutat voce catervas;
Atque oculis primùm vaſta agmina circumſpexit.
Angelici veluti ſpectantes lumina vultûs,
Conticuêre omnes, intentique ora tenebant.
Talibus ille modis, afflatus Numine, fatur.





JOANNIDOS
LIBER SECUNDUS.

O Vos ſtirps Abrahæ, ſacri ſimul, atque prophani,
Et circumciſi, Patriarchæ tempore Legem
Hujus ad inveƈtam; quam, Môſe interprete, tandem
Firmavit, ſtatuitque Deus: vos quando vocavit;
Elegitque ſibi, populis ex omnibus, unam,
Et propriam in Gentem, quam dein, per mira potentis
Signa manûs, terram in Canaan invexit, apertis
Urbibus, & regnis populorum idola colentum,
A vobis patriæ jam finibus excluſorum.
Vos ſoboles fœcunda, premens veſtigia Patrum,
Queis Numen loquitur, queiſcum commercia miſcet,
Sive per Angelicos famulatus, ordine longo
Sive Prophetarum, cæleſtia juſſa feruntur,
Evigilate; aureſque meis advertite diƈtis!

Tem-

Tempus adeſt, moneo, evigilate! & roris ad inſtar
Sermo ſalutiferi vobis nunc affluat: imber
Ut nimio, & longo morientia prata calore,
Penè enecta ſiti recreat; vitæque priori
Reſtituit, largo penetrans arentia fluxu.
Hic ego ſum, coram quem cernitis, ecce Joannes
Ipſe, Sacerdote exortus Patre: Sanguinis Aron
Materni auctor erat: Matris de ventre Propheta
Lectus, & ille quidem poſtremus Fœderis, olim
Tam ſæpe, ac validè obſignati voce Tonantis.
Me Deitatis agens modò Spiritus, antra ſilentis
Linquere deſerti cogit, lucemque ſubire:
Ut, quod erit gratum juſtis, ſed terror iniquis
Cuilibet evolvam ſua debita munia. Legis
Umbræ evaneſcunt: oritur lux candida cælo,
Lux in ſolamen Patribus promiſſa, peregrè,
Incertiſque, diuque errantibus. Aureus annus
Imminet actutum. Properat Sol ipſe ſalutis
Surgere, quem veteres olim Regeſque, Prophetæque,
Atque Sacerdotes, Abraham quoque, jure-Supremi
Certus jurando, & Sanctorum exercitus omnis
Unanimi voto cupiebant, atque petebant.

Illorum quamvis hoc lætum vivere tempus
Contigit haud ulli. Vos, terque, quaterque beati
Ergo viri! Veſtram ſed ſi modò ritè ſalutem
Penſatis. Mea vox hinc ſeſe attollit, & altè,
Eſſe emendandos mores, ceu buccina, clamat.

Cenſuram haud metuat, fugiatve oratio noſtra.
Limes ubi nullus, tranſgreſſio nulla videtur.
Sic fit; ubi paſſim lex naturæve, Deive,
Suffectæve poteſtatis, prohibenſve, jubenſve,
Sponte obturatas, & ſurdas invenit aures.
Cognita res, & aperta diu, nullique negata;
Omnibus at jus, faſque colentibus uſque probata.
Inde tenax animus recti pracordia vermem
Rodentem haud fugiet, qui criminis arguit illum;
Ut temerè à Legis deflexit tramite recto.
Incircumciſis ſic dat natura videre
Contractas maculas; quas Moſes Lege patentes
Oſtendit Circumciſis, atque arguit omnes:
Hâc & Lege reos ſolvendi debita juſtus
Exactor tenuit nexos. Sic computus urget
Æquandæ imparitatis onus. Sed ſtemmate Jacob
In majore aliis præſertim luce fruente,

Et

Et quod propterea̍ Legis vis arctius urget,
Et ſpe mercedis, ſimul & terrore malorum,
Neſcia quæ Moſis minitantur fallere Scripta,
Quæ monſtrant; puncto quicumque offendit in uno,
Cunctorum eſſe reum æqui Judicis ante tribunal,
Scrutantiſque Dei cæcos in corde receſſus,
Tollentis larvam à vultu, ceremonia pulchro
Quam decorat fuco, & fictæ pietatis imago.
Nam qui ſacrorum evolvit monimenta Librorum,
Percipit, Omnipotens quî vult ut victima crebrò
Cæſa quidem detur ſibi, verùm ante omnia promptus
Ad ſua juſſa animus; qualem monſtravit Abramus,
Cùm Domino placuit Patris generoſa voluntas;
Qui Gnatum vetuit ſibi ſacrificarier Izac,
Ariete contentus, complexos cornibus inter
Implicito vepres, lætus quemque ignibus aræ
Sacravit Domini in laudem Pater ille fidelis.
Illa placere Deo poſſunt: ſic jungimur olli.
Vos, quibus à Moſis lux hæc ſplendore refulget
Jam dudum, mihi nunc alacres nonnulla roganti
Reſpondete, Viri! Lex unde, ac unde Prophetæ
Pendent? Quidve volunt de vobis? Scripta Moïſis

Per-

Perlegiſtis enim, & triviſtis penè legendo.
Et nunc hæretis trepidi: qui multa crepantes
De Templo, & Sacris, hebetatis corda ſtupore?
Scrutatori hominum cordis pietatis imago
Sicca placere nequit, nec relligionis inanis
Ulla poteſt ſpecies. Quæro tantummodò ſummam
Tot mandatorum, quot ſacra volumina celant.
Quî ſic? An muti confuſâ fronte ſtupetis?
Ipſe igitur vobis referam. Deus exigit, illum
Viribus ut totis, & toto pectore, totâ
Et mente, ac Fratres, velut ipſos vos, ut ametis.
Hæc ſumma eſt. Numerum vox Dilige continet una
Tot mandatorum, quæ tradita Lege feruntur.
Hæc vitæ, & morum noſtrorum eſt norma, & amuſſis:
Huic veſtræ obliquam vitæ componite legem.
Proh, quod diſcrimen! Species eheu! bona quantùm
Diſcrepat à vero! Signatum denique quantùm
Differt à ſigno, dum componuntur utrimque!
Quanta exactoris ratio eſt? Sunt quanta citati
Debita? Quàm validè hoc pariter clamare docebit.
Parce mihi, Domine! O patientia, gratia, tempus!
Propitius miſerere, tibi debemus egeni!

Glo-

Gloria quî tandem, & jactantia vestra labascit;
Quò vos, sed temere, Neomenia, Sabbatha, tanti
Sacrorum ritus, & Circumcisio vanos
Abstulerant? Sed ab immundis vetitisque severè
Se cohibere cibis, corpusque, & vasa piare,
Et jejunandi asperitas, Elemosina quin &
Ipsa, animo vano facta, & clangore tubarum
Ostentata palam, captandæ laudis amore,
Hæc quid agent, nimio veluti suffusa pudore?
Numinis unus honoris amor, Fratresque Juvandi,
Ignis hic, & vita hæc syncerae relligionis
Deficit hìc. Dudum à vitulis, à bobus, & agnis
Nauseat Omnipotens. Adipem nec verò Creator
Exigit à quoquam è gregibus, quos ipse creavit.
Thuris odor, fumi seu quidquid fundit acerra,
Displicet: in miseros vapor at placet unus amore
Pectoris accensi. Properat nunc tempus, & instat,
Quod petit alterius speciei holocausta; cremavit
Quàm quæ jam multis soboles Aronica sæclis.
Prodigere ulteriùs frustra est oblata. Propinquat
Jam Templi Dominus, nec abesse hinc assero longè.
Ut Malachiæ olim cecinerunt dicta futurum;

Sic ego Messiæ prænuntio tempus, & ortum,
Vestros ante oculos Legis qui dissipet umbras
Hanc implendo; ac illustret caligine mersos.
Gratia duritiem sequitur, res ipsa figuram,
Exoriens & sol rediviva luce tenebras.
Neve diem, noctemque inter discretio major
Hâc metamorphosi esse potest. Quis jure dolere,
Sive queri in meliùs poterit sic prisca novari?

Quotquot Messiam, veluti lustranda, præibant
Agmina Signorum, qualis, quantusque sit ille,
Munus, & officia illius miro ordine monstrant.
Hoc & solamen vobis, fulcrumque ministrat:
Firmior ut gressus constet; vestigia vitæ
Ejus dum vultis sectari, & volvere mente,
Quò Pater æternus, vi solâ impulsus amoris,
Sic precium super omne, suo vos pignore donet.
Filius est, heresque unus Patris, unctus ab illo
Ditiùs & multò præ Regibus, atque Prophetis,
Sacrificisque, olim qui sudavêre prioris
Fœderis in stadio, cedentis sponte recenti.
Haud secus ac rutilo cedit soli umbra; fugitque
Mors vitam; sic Spiritui quoque Littera cedit.

Fert.

Fert animus Verbum Patris, quod pronus adoro,
Præque-figuratum vobis oſtendere Verbum;
Ut coràm ante oculos liceat ſpectare, quod olim
Non niſi per nebulam à longè ſpectare licebat.
Primus Adam, nondum ſua quem libaverat uxor,
Hunc, ſtirpis deſiderium, referebat Adamum,
Purus adhuc, primâ intactus ſuâ in integritate,
Ut formârat eum Deus, ac animârat; ut eſſet
Auctori jam tam ſimilis, nec imagine diſpar;
Ut patris, & gnati haud propior ſit imago creata.
Juſtus Abel, placuiſſe Deo quod munera certo
Proditur indicio, Fratris livore peremptus,
Hunc etiam innocuum, & culpâ ſine criminis ullâ,
Paſſurum invidiâ fratrum velut indice monſtrat.
Strenuus enormis per aquas Conſtructor ituræ
[Sanctorum in terris cœtum quæ denotat] Arcæ
Reſpicit in Fabricatorem qui, ſalvet ut orbem,
Inſtat, & Eccleſiam, ceu Templum, condet honori
Numinis; ultricem cujus qui fugerit iram,
In quâ, confidens Domino, ſalvabitur unâ.
Poſt hos Melchiſedech ſcenam in ſpectacula pandit,
Digna Sacerdote, & Pacis quoque congrua Regi,

Qui panem, ac vinum profert, benedicit & armis,
Inſtructos pugiles; nube & quaſi prodit opacâ.
Divino-humanæ præludit proprietati
Pontificis, jamjam propior, coràmque futuri
Hoſtia quin etiam, dum priſca cruenta ſilebit,
Diutius, exurget quàm ſol aut luna, loquetur.
Abramides alter, meliorque videtur in Iſâc,
Non veritus Patris dextram, ad mortemque fidelis.
In Jacob, benedicentiſque oracula Patris,
Primò & jus geniti Fratri eripiente, relucet
Paſtor, larga manus tribuit cui nempe Tonantis
Mille greges, opibuſque Virum cumulàvit, & auxit.
Decurſu in vitæ Joſeph preſſique, levatique
Ad Regis dextram, Meſſiæ elucet imago.
Spretus & ipſe diu, exoſus, probriſque petitus
Surget honore tamen fulgens: dum conſiliorum
Numinis arcanâ vi animarum millia multa
Eruet ore famis, & inexorabile mortis
Diruet imperium, ſpoliiſque redibit onuſtus.
Evigilate! Huic Servatori occurrite mundi!
Amramides, populum Phario dum carcere ſolvit,
Ducit & ad terram, promiſſam Patribus olim,

Per-

Per mare decedens, hoſtis fatale ſepulchrum,
Detulit & Legem montis de vertice, ſaxis
Impreſſam, ille Ducem manifeſtâ in luce fidelem
Exhibet electis; Mediator, & Arbiter inter
Qui Deum, & humanum genus orat, & inſtat, & urget,
Diſſidium & removens, Numen placabile reddit,
Moxque patrocinio pacem componit utrimque:
Poſtremò in melius Canaan, cæleſtia nempe
Regna, ſuos inducet: ubi mors nulla timenda eſt.
Ipſe Sacerdotis cultu præcinctus Aäron
Longè alium monſtrat, veſtri qui limina Templi
Occupet, accinctus ſe offerre; at ſanguine nullo
Hircorum aut ovium, vitulorumve imbuet aras,
Inter nidorem, fumumque, igneſque voraces,
Sanguine ſed proprio, quàvis ſine labe, ſilenſque
Atque ita ſacratus, non ut terreſtria Sancta,
Seu fabricata manu ſubeat, cæleſtia verò
Atria: in hoc Sancto Sanctorum ut, more Patroni,
Cum Patre pro vobis agat; & ſic denique vobis
Afferat, aſſumptis ſecum, ſine limite Regnum.
Quid Joſuam memorem, reliquos ſive ordine longo
In populi Heroës ſuccinctos enſe ſalutem?

Tot Servatores, animoque, manuque potentes,
Portendunt variis venientem Heroa figuris.
Vulgatuſque adeò Samſon, ubicumque ſtupendas
Exeruit vires, nulli ſuperabile robur
Ad vivum expreſſit lethi Victoris, & orci.
Jeſſæus David, bellis celeberrimus actis,
Cujus Meſſias veſter quoque Filius audit,
Hunc etiam expreſſit patiendi ſorte, frequenti
Preſſurâ afflictus, pandente ad gaudia portam;
Sicut eum Salomon in majeſtate refulgens,
Dives opum, cunctiſque bonis cumulatus abundè,
Spectandum vobis offert ſplendore micantem,
Omnibus à terris, & Regibus undique cultum.
Procedunt firmo pede, præſcia turba, Prophetæ,
Adproperantis in occurſum ſigniſque, figuriſque
Haud dubiis; ut mox venientem agnoſcere promptum
Sit vobis, & vos, ùt ſi loquerentur apertè,
Convincant. Oritur claro de ſtemmate Judæ,
Davidiſque è ſtirpe ſatus. Nec tempus aberrat;
Judææ cùm ſceptra Domûs aliena coruſcat
Jam manus; ùt moriens quondam prædixit Jäcob.
Naſcitur è caſtâ [quis credat?] Virgine Matre;

Mag-

Magnus ùt Amosides, regalis gloria stirpis,
Vaticinando olim cecinit. Velut ipse Reclusâ
Ezechiel Portâ mirandum hunc respicit ortum;
Nascenti Stabulum vox & præsaga Michææ
Æterno Regi Bethlemi pauperis offert.
Thus Oriens, aurumque in munera detulit olim,
Quæ cum Davide Amosides cecinêre Videntes.
Ante diu Rachel Herodis tempora jam tum
Infantum audierat cædem, fleratque cruentam.
Indicat Ozeas, quî cladem evaserit illam
Proles chara Dei, & Phariis revocarit ab oris
Extorrem postliminiò Pater. Illius autem
Si vitæ deinceps sequimur cursum; aspicietis
Conspirare in eum cunctorum oracula Vatum:
Lumina quis luci claudat præ sole micanti?
Quisve, tubam Metanœâ inflante, huic obstruat aures?
  Tempora, si repeto Danielica dicta, statutam
Tantùm non metam jam transgrediuntur in annis.
In somnis visum dum Regis hic explicat Augur;
Imparia ostendit variarum tempora rerum
In Statuâ, quatuor signante potentia mundi
Imperia, ex auro caput, argentique metallo

Pectus conſtabat, ferro ſed venter, & ære,
Ex limo, chalybe intermixto, crura, pedeſque,
Debilia, heu! nimiùm, vincant ut ſæcula ſtando.
Sic Nini imperium pingit, ſic tradita Perſis
Sub Cyro, ſub Alexandro ſic credita Græcis,
Romanis tandem, magno ſub Cæſare, Sceptra.
Hæc lapis afflixit celſo de monte revulſus,
Comminuitque uno Simulacrum funditùs ictu,
Portendens Caput imperii, quod mittet in ima
Tantùm radices, culmen quantùm invehet aſtris.
Quod verò Imperium? Chriſti; quò vox mea veſtrum
Dirigit obtutum: hunc Daniel Lapidem indicat eſſe.
Nunc, O! Meſſias properat delapſus ab alto.
Ædificatores, Templi ſplendore tumentes,
Nolite hunc temerè Lapidem reprobare, paratum
Angulo adaptari; memoratque in carmine David,
Quî Deus hunc colat, impietas dum ſpernit, & odit.
Advigilate! Deum, Vatemque audite monentes!
Errorem infœlicem, dum ſinit hora, cavete!
Mobili inædificat ſabulo, quicumque relicto
Conſtruit hoc fundo, Lapidi neve inſtruit iſti.
Dum ruit imber & hiberni torrentis inundat

Copia, dum venti vis impetuosa frementis
Irruit in fragilem conjunctis viribus ædem;
Tantis illa malis impar trahit alta ruinam,
Et lapsu graviore ruit; quò celsior illa
Moles surgebat. Dum rupi innixa resistit.
Ille licet veniat neglectus, pauper, inermis,
Nec velut ipse suo præcessor tempore David,
Ingrediens armis, signis & milite cinctus,
Labile non Regnum, terrenam haud ille Coronam
Accepturus adest; at Regnum verò perenne
Cordibus erecturus in humanis, sine pugnâ, aut
Sanguine: vult solium regale in pectoris imo
Condere, & interiùs dominari lege supremâ,
Indomitique animi sensus frænare rebelles.
Limes hic, incipiat regnaturi unde potestas,
Quæ mundi superet vires patiente labore,
Ut primùm occipiet doctrinæ oracula plebi
Pandere; formam acer mox vomeris induet ensis,
Hastamque in falcem faber in fornace recudet.
Florebit pax, in pratis velut herba, per urbes.
Non agnos lupus infestat; latet anguis in îsdem
Sepibus, & turtur; bobus leo concubat insons.

Sicubi deſertum calcat, veſtigia figens;
Ilicet exoritur ſtipatum floribus Eden:
Nullaque mortifero nocet ampliùs herba veneno;
Innocui primæva redit natura Parentis.
Nunc mundi, cælique Sophos componite, quæſo!
Hi nam divitias, luxum, famamque ſequuntur:
Illi humilem vitam, paupertatemque latentem:
Hi genus, & proavos, & clari ſanguinis ortum;
Illi nec ſtemma, aut titulos, virtutis honores
At veræ exquirunt. Oculis hi quidquid amœnum,
Aut volupe eſt carni, illi, quæ recreantque, foventque
Mentem, inveſtigant. Hic ſeſe extollit, & inflat;
Ille latere cupit; ſpoliis per faſque nefaſque
Hic inhiat, ſeve ulciſci cupit: ille recepti
Immemor, oblituſque mali eſt; mens conſcia recti
Eſt illi pro divitiis: hic irrequietus
Multa movet; ſed tranquillus ſedet ille, ſiletque:
Eſurit hic ſemper; parvo ſatiatur at ille.
Qui, ſibi quod prodeſt, ita percipit, ille beatus.
Dum majeſtatem Sapientia ſumma verendam
Conſpicuam ſtatuit dare; quæ non mira potenter
Exequitur per res, aut perſonas; licet ipſo

Vi-

Vilia contemptu mortalibus esse videntur;
Sic ut celsa premat, depressaque tollat in altum.
Casibus insolitis sua dum decreta supremus
Arbiter exequitur, pavonis syrma superbi
Deprimit actutum; & rursus relevata jacentis
Desperata salus à dextrâ prodit eâdem.
Sic, quæcumque oculis spectamus, limite certo,
Finibus & certis constant, quos summa Potestas
Constituit. Reddunt sapientes ista quietos,
Quodque magis mirum; ex nihilo est hæc machina mundi
Condita; & è tenebris lucis jubar omne refulsit:
Splendore ex isto coalescunt sydera cæli.
Corporis humani limus terrestris origo,
Costa Viri muliebris erat. Cum lampade testa
Sub Gedeone citò Madianica castra cecidit.
Quanta Philisthæis præsentia contulit Arcæ
Unius mala? Quale, & quantum robur alebant
Intonsi crines? Quas panis, & hydria vires
Sufficere Eliæ poterat, queis ille, dierum
Quadraginta ingressus iter, subsistere posset,
Exul ab immani feritate furentis Achabi?
Ut quoque de parvis, & spretis mentio fiat;

Quî Puer expoſitus turbavit Memphios arva?
Vix ab aquâ ereptus, ſprevit diadema Canopi.
Jeſſæus Juvenis, nunquam poſſeſſor ovilis,
Sed paſtor, regnum obtinuit, tenuitque per annos
Quadraginta. Et noti per miracula Elizæ
Defuncti mors ipſa timet metuenda cadaver.
Sic liquet, Omnipotens quid poſſit, vilibus etſi
Utatur rebus: ſpretos, humileſque gerendo
Aptet mortales operi. Quod & omnibus hiſce
Eminet, haud longè eſt, & major gloria ſurgit
Undique, & ex ipſâ miſerorum clade, Tonanti.
Quot mala, Proh dolor eſt! mortalia corpora fœdant,
Quæ ſibi juncta hærent, veluti connexa catenis.
Infectus leprâ, valetudine preſſus iniquâ,
Obſeſſus, cæcus, tortuſve arthritide, claudus,
Mutus cum ſurdo virtutem ardentiùs optant,
Quæ mala depellat, vitam quoque reddat ademptam;
Jam functis, valeat membris ut rectiùs uti;
Quæ creet ex undâ vinum, quæ temperet iras,
Ac vim ventorum, tumidi maris imperet undis;
Ac elementa, velut ſibi ſint obnoxia, frænet.
Cladibus ex hominum, atque malis producit honorem

Tunc

Tunc Deus, innumeris benefactis, prodigiisque
Omnes convincens, quæ corda adamantina frangant.
  Dedecet omnino, ut cordis vir fallat honesti;
Absit & os igitur mendacia credere solvi
In promissa Dei, Patribus jurata vel ipsis
A mundi cunis! Sic olim ostendit Adamo,
Ut semen muliebre caput serpentis adacto
Contereret pede: sic Abraham juravit, in uno
Semine se illius benefacturum omnibus esse
Gentibus: Isacidem solamine firmat eodem.
Audiit & David jurando jure profantem,
Progenies Regnum sine fine teneret;
Illique, ùt Patri, hæc non ignota Propago,
Propago, imperium cujus nec terminet ævum,
Nec limes, quod nec sol occasu æquet & ortu.
In Salomonem autem, nec Reges deinde secutos
Ista cadunt: Christi at solium inmutabile perstat.
  Addite promissis signa, ac oracula Vatum,
Nunc meditata diu; nec non audita frequenter
Nunc quoque Justorum expectatio longa gementum;
E somno modò at evigilant, concentibus icti
Angelicis, vigilantibus à pastoribus inter

Auditis pecudes: clari dein ſyderis igne,
Luce Magos ducente ſuâ ex oriente remoto.
Angeli adhuc memores, Zachariæ incenſa ferenti
Qui juxta eſt aram viſus; qui nuncius ivit
Meſſiæ Matri; memores Simeonis, & Annæ
Inclytæ anûs, annis prope vitæ æquantibus ævum.
Bis anni fluxêre novem; cum ſacra ſubibat
Limina, & in mediâ templi ſe ſede locabat
Inter Doctores Meſſias, Doctor & ipſe.
Hìc rogitare illum cuique, hìc audire licebat.
Omnes æquè avidi Pueri ſapientis ab ore
Sermones audire, ac ad reſponſa ſtupere:
Docti adeò in Lege, ac Aäronis ſacra ſcientis;
Doctores tenuit ſimul admiratio mutos.
Nazaret obſcurâ latuit ſecretus in urbe,
Ignotuſque deinde, ſuiſque Parentibus uſque
Subditus: ille niſi, pro conſuetudine feſti,
Mœnia quod Solymæ ter viſeret alta quotannis;
Moſis ne legem, Domini ne ſacra ſupremi
Juſſa profanaret. Simili ſic relligione
Circumcidi octava dies conſpexerat illum
Se dantem maturè adeò ſub lege ſeverâ;

Quò

Quò gentem à Legis maledicto abſolveret omnem.
Sic manſuetus adeſt, vindictæ, & neſcius iræ,
Pacificus verò, pietate, & plenus amore,
Inque ſuos largus bonitate, ad roris in agro
Inſtar; ùt id pridem cecinerunt carmina David.
Auro, ac argento dum claſſis onuſta trienne
Poſt ſpatium inſtaret remis, veliſque per æquor,
Et tandem firmaret ad Aſjongabaris oram
Longinquo ex Ophir venientes anchora puppes;
Purpurei à malis fluitantia apluſtra coloris;
Serica vela tument; intertextoque rudentes
Luxuriant auro: mons aureus æquore toto
Plurimus immenſum Salomoni convehit aurum.
It quantus clamor cælo, clangorque tubarum?
Ut plaudit populus choreas ſub voce canentis
Pſalterii, citharæque, tubæque, cheliſque, lyræque?
Fervet ùt innumeris rubri maris unda carinis?
Ad læta ùt gaudent ſpectacula littus, & urbes,
Queis referebatur Salomonis gloria; dum ſe,
Talia ſpectando, petulantia lumina paſcunt?
Non Hieroſolymæ ſternebant ſaxa plateas;
At ſuper argenti lamnas duxêre choreas.

Cedrorum nemora, ùt quondam ficeta, tegebant
Confines campos; Templumque, & Regia tanto
Fulgebant, plueret veluti de nubibus, auro.
  Splendor at ille auri, ut ſapiens Rex ille profatur;
Non niſi vaneſcens erat umbra, breviſque fugaxque
Coram oculis ſpecies avidis, quam lilia veſte
Nativâ ſuperant. Evangelio tamen, ore
De quo vos hilari moneo, confidere fas eſt;
Dummodo Meſſiæ caput inclinare paratos
Vos video. Cunctæ cæli inveniuntur in illo
Divitiæ; hanc Sobolem Pater unxit gratiæ olivo.
Conſtat in hoc uno fons, & ſpes una bonorum
Duraturorum. Fluit hoc à vertice ſummo
Unctio ad ima pedum tam largo, & divite cornu,
Profluvio ut reliquos artus quoque balſama inundent.
Excipite ergò alacres venientem limine aperto!
Quippe ſalutiferum excipietis limine Verbum.
  Ut populos omnes ad pignus tale ſalutis
Accirem, Dominique viam Chriſto antè pararem,
Huc ego proceſſi è latebris, me Spiritus egit.
Evigilate! Viam Domino nunc pectoris æquam
Reddite! ſternantur colles; vallesque ſupinæ

Æquentur campo: velut advenientis in usu est
Reddere Regis iter planum; ut reverenter aperta
Hunc aula excipiat: curâ solerte cavetur;
Principis offendat ne lumina seu malus ordo,
Compositive minùs vici, immundæve plateæ.
Quisque stet obsequiis cæli devotus, ad omne
Servitium promtus. Sapientia nulla placebit,
Justitia aut propria hìc, falsò sapientibus altè,
Magnificèque placens. Ergò vani alta tumoris
Culmina complananda priùs, sapientia vera,
Cœlique ut jurisprudentia concipiatur.
Qui transgressor apud concives publicus audit,
Nunc dictis parens, humilis, fractusque dolore
Admissorum, ineat cum cælo fœdera pacis
Quæ fero, læta animum solentur nuncia; nempe
Stemmatis, officii, aut sexûs discrimine nullo,
Cuique hominum, qui nec carnis nec sanguinis ultrà
Consulit arbitrium infœlix, nunc divitis aulæ,
Cœlestisque patere fores, modò gratuitorum
Captet in immeritos manantia dona favorum
Messiæ ex scatebris, & servet jussa supremi
Numinis, æterno fisus Verbo, Emmanuëli.

Cœlica nunc ætas oritur; terrena, brevisque
Elapsa est. Animus desperans ad bona cæli
Spe firmâ erigitur. Temere sibi fisus, apertum
Sensibus indicit bellum propriis, sapiensque
Antè sibi visus, prudens resipiscit; iterque
Ingrediens melius, mundo fit stultus, & amens.
Insipiens modò, Sanctorum sapientiam adeptus,
Rite sapit. Lusus modò relligione, Deorum
Cæcus vanorum cultor, vitæque, salutisque
Inquirit fontem; quem lætus & invenit, undâ
Se satians vivâ: Mundi quoque servus iniqui,
Innumerabilium vitiorum compede nexus,
Vincla solutus abit, virtutique instat alendæ.
Antè bonis inhians alienis, publica tamquam
Præda forent, sua nunc verò bona prodigus infert
In sinum egenorum. Ecce venit, venit ecce Redemtor!
Integer & mundus Messiæ conspicit ortum.
Disparent noctis tenebræ; lux fulgida cælo
Emicat, in Græcorum, Hebræorumque salutem,
Incircumcisis, circumcisisque futura
Constans in miseris sperandi destina rebus.
Solque salutifero dispellit lumine nubes.

A terræ vultu, ſolioque locatur in alto,
Æquè vicinus cunctis, atque omnibus idem.
Splenduit in Moſis facie lux debilis olim:
Altera at in vero nunc Servatore coruſcat
Gloria ſplendoris, ſol vivus, pulveris index
Vel minimi, macularum haud impatientior alter,
Cor hominis vitiorum expurgaturus ab omni
Labe venit, plenoque ſinu cœleſtia geſtat
Munera. Corrigite ergò vos; nolite morari!
Tempus adeſt. Obliquo errorum à calle redite,
Morum & ab incurvo! Tandem via recta teratur,
Se via ſectantes ad cælum regia ducens.
Comparo jam Solymam Ninivæ, quæ ſolis ad ortum
Hinc procul excrevit quondam, & caput intulit aſtris
Interitum ante ſuum, regali ſplendida ſede,
Omnis at impietas ubi, faſque, nefaſque vigebant,
Quisque ſequebatur, quod luxuriantis imago
Fingebat cerebri: laxas permiſit habænas
Quisque voluptati, quam nec bene fortia rectè
Crura ferant; patuit velut in Salomone vel ipſo,
Ut ſapiente licet. Crevit ſed denique tantum
Impietatis onus, tantà ut depreſſa ruiſſet

Mole ſuâ; bonitas divina, miſerta ruinæ,
Prompta niſi ad reſipiſcendum ablegaſſet Jönam
Præconem. Ille quidem, ceti de ventre renatus,
Obſequitur ſolers, & munere fungitur illi
Impoſito: auſcultant dictis tam ſæva minantis:
Evigilant, artus ſaccis ſqualentibus indunt
Feſtivâ pro veſte ſuos. Rex prævius anteït:
Confeſtim è ſolio conſurgens mœſtus eburno,
Purpuream lacerat chlamydem: ſaccumque rigentem
Induitur; celebrat jejunia, & anxius orat,
In cinere afflictus, triſtis, fractusque, gemensque
Integra jejunat Ninive, puerique, pecuſque,
Pœnitet ùt nocuos ſcelerum; mora nulla, minantem
Pœnitet irarum. Sic millia multa reorum
Servantur, verè quos pœnitet admiſſorum.
Huc ego nunc ſimili venio ratione; voloque
Vos monitos; prompte dociles niſi crimina rite,
Aſſyriæ exemplo gentis redimenda, piatis
Et lachrymarum aboletis aquâ, cordiſque dolore,
Neve à deliciis mundi cohibetis amorem,
Oblatumque hodie maleſanâ mente favorem
Spernitis; è cælo Judex vos ille ſeverus

In

Arguet: ùt Patres, perverſis moribus olim,
In vitiis ſtabiles, obduratoſque manentes,
Afflixit veſtros, Juſtoque furoris in æſtu,
Ille ſui graviter cruciandos tradidit hoſti.
Vos penes, eligite! eſt nunc ſuppliciumve, ſaluſve,
Præmia ſpondentem, O facinus! nec dira minantem
Suſpicitis? Venit ulturus: cum fœnore ſummam
Exiget. O fœlix, contrito pectore ſupplex
Qui pacem oblatam geminis amplectitur ulnis!
Hanc operaturus juſtâ ratione medelam,
Sub cœli auſpiciis, modò vobis offero munus
Ecce meum, auxilium hâc in re prægrande futurum.
Sedibus his, propter Jordanis fluminis oram,
Cunctaturus ero, indefeſſus cuique roganti
Conſilium, vel opem in rebus, reſponſa daturus.
Diſcere quisquis amat, mea quottidiana frequenter
Conſilia expendat. Nævis ſe quisquis, & atris
Obſeſſum maculis ſentit, baptiſmate corpus
Purgari ſibi ſuſtineat. Deus imperat, idem
Exigit officii ratio mei ut aſpera reddam
Plana, & inæquale exæquem, monitiſque, meiſque
Dotibus exiguis, mihi ab Omnipotente tributis,

Ser-

Fractos corde parem, & tingam fluvialibus undis;
Servator donec veniat, corpusque, animamque
Qui lavet, & penitus purget, quas Spiritus undas
Vivificat; Syrus ut fuerit non purior olim
Nâman, discipuli verbis confisus Eliæ.
Munus & hocce meum, extenso velut indice, monstrat
Messiæ adventum, patrii Jordanis ad oram,
Huc processuri, & manifestâ in luce videndi.
Millia jam video, ùt salices in margine rivi,
Prodire, & suavem diffundere floris odorem
Obsequii. O! placeant oculis mea munia Christi,
Lucrer & advenienti animas, præstemque paratas!
Hoc unum, hæc sola est votorum summa meorum.
  Sermoni imposuit finem hæc ad verba Joannes.
Procumbens dein pronus humi, Dominumque precatus
Paulisper tacitè, surrexit denique, turbæ
Plebis & innumeræ benedixit; & inde recessit,
Stipatus valido plaudentum voce, manuque,
Gaudentumque choro, dilecta sibi antra revisens.
Haud modica insequitur præëuntem turba proborum,
Prodeat ut lucis primo sub mane sequentis.



JOANNIDOS
LIBER TERTIUS.

Noctis jam tenebras rutilans aurora fugarat:
Sydera pallebant cœlo: sol æquoris undà
Exoriebatur, solito redimitus in auro
Illustrans montes, loca culta, incultaque, & omnes
Jordanis ripas, cujus de fluminis alveo
Rivus dexter abit, præter Jerichunta fluendo
Irrigat arentes, deserta horrentia, tractus:
Donec, maternis procurrens fluctibus, undas
Reddit aberrantes. Vinit, hujus ad ostia rivi
Circa Jordanem secretà è sede Joannes,
Rupis & exesæ latebris: hominumque caterva
Subsequitur, quos ante diem, roremque cadentem
Cunctantes tenuit longa expectatio Vatis,
Omnes æquè avidos, ecquid suggesserit illi
Spiritus, audire. Hic orat, legit illè, canitque

Al-

Alter lætitiâ; tremit iſte pavore, ſuorum
Conſcius errorum. Veluti ſe manè colonus
Inſtruit agrorum ad cultum, & juga ſedulus addit
Bobus araturis: ſimili ſe more Joannes
Aptat; ut humani horreſcentem pectoris agrum
Vepribus, ac ſpinis proſcindat vomere, & occâ,
Noxiaque evellat cæleſtis acumine verbi:
Exſuccas animas morum probitate ſeverâ
Impinguet, ſqualorem & corporis irriget undâ,
In Domini obſequium; ſemen quà rite paratis
Inferat: ut, ſimul ac veniet Poſſeſſor herilis,
Mortales ſterili ſimiles terræ, ac ſitienti
Deſerto, viridans ſubitò mutentur in Eden,
In cœleſte Eden, in quo venerabile Numen
Semper adoretur rectâ pietate; creatus
In quâ primus homo eſt, ſibi tradita dona priuſquam
Demens negligeret, temere excideretque ſalute.
Hic populi Doctor, ſuperato vertice collis
Haud celſi, turbas oculis perluſtrat, in unum
Undique quæ coëunt. Illic & cernere ſtantem,
Et poſſunt audire ſonos. Sunt protinus unà
Viſi omnes ex imo ad collem extollere vocem:

Dum

Dum non ventorum, strepitus non arboris ullus
Impedit, & collem tacitus præterfluit amnis.
Doctor digne fide, robur languentibus addens,
Quique obduratos contundis & atteris, altè
Deprimis elatos nimiùm; sancte, atque fidelis
Ex quo, Pastor, heri per pascua læta trahebas
Nos, & pascebas, præbendo pabula sacræ
Nobis doctrinæ, cœli spiraminis instar,
Cordibus in nostris syncera est orta cupido,
Consiliis instare tuis, omnino reniti
Neve voluntati: namque est manifesta voluntas
Ista Dei. Curvos nunc ergò relinquere calles
Sponte placet, Domini à recto qui tramite aberrant.
Aures inclina cujusque ad vota, precamur,
Quisque suum nam sentit onus, premit impare moles
Pondere quemque sui vitii, hunc plus, & minùs illum,
Seriùs, & citiùs mentis discretio pollet.
Tu, velut insigni versatus in arte medendi,
Naturæ cujusque vales conformia, morbis
Aptaque curandis medicamina scribere. Ituris
Per tenebras bene, ducta fuit quà semita nunquam,
Baculi opus firmantis erit, lucisque monentis

Auxilio. Fervore, Dei quem Spiritus afflat,
Tu puro correptus, es in fulcimen, & igne
Lampada flagrantem, nobis datus æthere ab alto.
Nos igitur firma, & lucem præferre cuique
Ne pigeat: primùm verò ſolare rogantes,
Conſiliique inopes reſponſo. Fare, quid iſtâ
Exigis à turbâ, hâcce tuâ quam voce citaſti
In loca deſerti? Quid & in commune jubebis?
  Implicitaſque manus ambas, junctaſque Joannes,
Atque oculos ſurſum cum voce levavit, & infit:
Proh! mihi quàm volupe eſt, quàm gratè pulſat & aures
Vox ea veſtra meas? Dignos vos inde doceri
Conſpicio; quòd tam mea verba heſterna profundè
Corda penetrarunt in veſtra, attrita dolore,
Nec veſtri ùt patres durâ cervice rebelles,
Lege procul, monitiſque à Moiſis degenerantes,
Scandalum in illorum [generis quæ infamia noſtri!]
Quos Idololatras contemptim diximus, atque
Incircumciſos; dum nos in pectoris imo
Incircumciſi, leges, & juſſa Moïſis
Tranſgredimur, tardi ad metam & properamus ab ipſo
Numine præſcriptam. Capient me nulla deinceps

Tæ-

Tædia, lassabitve labor, nec cura docendi.
Sed video huc fictos animo procedere falso
Doctores Legis, Saducæosque dolosos
Dissimulatores, ex me ceu discere vellent
Virtutem, intereà obvertentes terga Tonanti.
Viperea O soboles, culpam quid dissimulatis?
Cordis scrutator, patiens huc usque pepercit
Qui vobis, larvatum oculis pervadit amictum.
Cur extollimini? Vani quid vela tumoris
Ducitis in malorum apices, & creditis auræ;
Cum jam vindictæ tempestas imminet horrens,
Quassatura animum, cum puppe ut prora dehiscat,
Absorptura aperit viventes ora vorago.
Quid jactare juvat: soboles sumus inclyta Abrami,
Ex stirpe illius geniti? Ambitiosa propago!
Creditis an cœli Rectorem stemma, genusque
Respicere? Haud illum natorum cura, parente
Ex hoc, sollicitum tenet. Ille potest [via nulla
Invia Cunctipotenti est] educere sanctam
E saxis sobolem, nostro non inferiorem
Patre. Hæc vestra igitur nimis est jactatio fera.
Arbor ad elatam trepidat ferienda securim,

Jam totam radicitus exſtirpare minantem:
Illa niſi fructus ferat arbor. Fructibus orba
Luxurians Legis coma frondibus, una voluptas,
Et ſola eſt vobis; Domino ſed diſplicet una,
Qui non fructiferam venit exciſurus, & igne
Æterno in cineres rediget non utile lignum.
Corde ego contritos aveo fluvialibus undis
Mergere: at ille venit, quem nec procul auguror eſſe,
Cujus & iſta manus, nimis, heu! indigna miniſtra,
Tegminis haud auſit plantarum ſolvere nexus.
Abluet immerſos vos ille in fluminis undâ
A ſe ſacrandâ, ſimul & mundabit in æſtu
Cœleſtis flammæ, accendit quam Spiritus omnis
Virtutis, culpæ nævos abolere potentis,
Cordaque mundata, & penitus purgata, ſupremo
Ferre Deo, quæ ſic poterunt ſubſiſtere in aulâ,
Quam, niſi purgato penitus, penituſque, licebit
Intrare. Expergiſcimini! Venit ecce ſeverus,
Et juſt us Judex. Jam gratia nulla, favorve,
Aut genus, aut ſanguis quidquam prodeſſe valebunt.
Judicii tenet ille Dei jam quippe paratam
Ambabus Vannum manibus, quâ, lege ſeverâ

Jac-

Jáctatâ messe, emundabitur area; fruges
Secernentur & à paleis: cœli horrea condent
Virtutis granum; paleæ impietatis alendæ
Tradentur flammæ, quæ nullo extinguitur ævo.
Quisque sibi caveat! Micat hinc suspensa corona,
Terrifica ast isthinc Ultoris virga minatur.
  Dum populi punire nefas cœleste Tribunal
Constituit; cœlique ultrices provocat iras
Impietas humana: suâ Pater indole clemens
Ostendit primùm, minitantis more, flagellum
Proli immorigeræ, terrentem crine cometam,
Syrmate sanguineo, portentum Numinis iræ.
Tunc trepidare omnes; tunc in lamenta resolvi;
Tunc lachrymis madere genæ; tunc munia quisque
Sentit cum magno cordis neglecta dolore,
Consulit ac homines notâ pietate probatos:
Urgenti si forte Deus mitescat ab irâ,
Placatus mœrore animi, precibusque gementum.
  Hìc quoque non aliter se res habet. Insonuisset
Tristi ubi Præco tubām dira omnia voce minantem,
Protinus ad resipiscendum promtique, paratique
Omnes inquirunt, hanc quâ ratione procellam

Terrificam avertant; orantque, rogantque Joannem;
Si qua ſciat, miſeris media ut præſentia tradat
Ore pio; poſſint quò tantam evadere cladem.
Ille ita ſollicitos verbis affatur amicis:
Eſt mihi ter gratum, nunc vos ſentire mucronem,
Jam dudum qui vos pungit. Sermone tenetis
Heſterno ex noſtro, breviter comprendere amoris
Præceptum, Legem totam, cunctoſque Prophetas:
Vos nec ad altare ablego; quò propitietur
Taurorum, hircorum, aut vitulorum ſanguine cœlum;
Nunc animas meliùs precio redimetis amoris.
Nam benefactorum obſequio ſuccurrere egenis,
Numen honore colit, laudemque meretur, & ampla
Præmia virtutum. Tunicâ qui duplice gaudet,
Una tegat nudum. Ære famelica viſcera veſtro
Exſaturate hilares, ſumptus reſtringite veſtros
Ergo, aliis potiùs, ſibi quàm viventis ad inſtar.
Frugiferum, æſtate in mediâ, dum ventus in æquor
Incubat, & placido ſpiramine perflat ariſtas;
Spica gravis caput inclinans obtemperat auræ:
Pectora ſic populi flectuntur vocis ad auram
Præconis placidam, divino flamine motam.

Cernere erat tumidos demisso vertice pronos.
Ipse tributorum vectigalisque redemptor,
Depopulans plebis bona, tamquam ærugo metalla
Exedit, aut carnes cancer, mœrore fatetur
Contritus culpam, petit à Doctore salutis
Consilium; clades priùs addita cladibus urbes
Quàm vastet. Supplex, ut se lavet, orat, & undæ
Immergat. Clamant omnes uno ore, Magister,
Quæ spes salvandi superest? Queis rettulit ille:
Cæsareis vigiles insistite legibus omnes;
Vivite contenti positâ mercede, nec ultra,
Quàm fas, aut justum est, miseros affligite cives.
Circumcidendi ritum sic corda docemur.

Armigerûm violenta manus, petulansque, feroxque,
Urbibus in mediis, campisque assueta rapinæ,
Vimque pudicitiæ, ac inferre incendia tectis,
Stabant attoniti, trepidique, & mentis egeni
Nobis væ miseris! exclamant. Militis, eheu!
Quomodo conditio poterit consistere coram
Judicis aspectu jamjam venientis? At ille,
Si bene vultis, ait, vos auscultare monenti;
Omnis erit pellenda procul violentia vobis:

Con-

Contentos deinceps vos juſta ſtipendia reddant;
Vos priùs infandam quàm forte, tyrannida propter
Iratus veſtram, Judex citet ante tribunal.
Sic ſua diſpenſat cunctis reſponſa Joannes
Pro cujuſque animi ratione; & quemque rogantem
Conſilia, inſtructum fluvialibus abluit undis.
Abſque modo populi coit undique, & undique turba,
Omnes & placidè, culpam quicumque fatetur,
Illius adventu ſolatur, jamque propinqui,
Qui verè eſt animas conſolaturus, & omne
Curabit vulnus; noxæ immemor, atque reatûs;
Omnia præteritæ delebit debita culpæ.
Dimiſſis turbis, in amato conditur antro;
Umbrâ dum reduce occiduis ſol mergitur undis.
At ſuper œthra [diem quà non premit ulla viciſſim
Nox præcedentem; pluviæve, aut nubila nunquam
Obſcurant lucem; quæ ſemper vivida, & ardens
Emicat; ac ubi liberiorem Spiritus auram,
Et puram Angelicus captat] mundi Arbiter, ignes
Qui movet æthereos, immenſiſque orbibus illos
Circumagit, terramque ſuis circumdare gyris
Imperat, & vinctos æternis legibus urget,

Cœ-

Cœlorum ſuperat culmen, Michaële, ſupremo
Ductore Angelici cœtûs, comitante: caterva
Ampla ſatellitii latus undique ſtipat euntis.
Grande aliquid viſus meditari eſt: adſtupet omnis
Circumfuſa cohors, avidis & mentibus hæret.
Ilicet aligeros delegat ſumma Poteſtas
Præcones, Proceres qui cœli cardine ab omni
Voce citent ad concilium in penetralibus aulæ
Supremæ. Cœli medio ſublimis in orbe
Regia ſurgebat: ſolido ex adamante micabant
Mœnia: fulgenti radiabant tecta metallo.
Huc iter accelerant illi, per luminis orbem
Æterni ducens. Cernuntur ſcandere ſurſum
Cœleſtes Proceres, Virtutes, & Dominatus,
Atque Poteſtates, per cærula pura volantes,
Aulâ quiſque ſuâ egreſſus. Tuba prævia laudem
In Domini clangit ſui: & indumenta per artus
Latè fuſa fluunt; quæ verſicolore meatu
Iris obit radians; Phœnicis divite pennâ
Exornatur opus: diſtinguit at unio gemmis
Interpoſta ſinus: bene olentibus aſtra capillis
Implicita egregiæ certant decus addere fronti,

Divinumque jubar. Sic qui non emicat aſtris
Clarior, à reliquis poſſet tenebroſus haberi.
Intrant unanimes per apertam liminis atrii
Portam ad concilium, & Dominum opperiuntur. At ille
Prodit, & in ſolio reſidens ſubjecta Seraphim
Colla premit. Priùs emicuit non pulchrior unquam
Lætitia ex oculis; ſol unde ſui aureus haurit
Luminis ardorem. Rutilans Deitatis amictus,
Docta Cherubini quem pinxit dextra, coruſcat
Solibus, obfuſcans prope, quidquid in omnibus antè
Lucis erat puræ, tanto jam lumine victum.
Dextra manus ſceptrum vibrat bonitatis, & omnis
Gratiæ; & intuitus cum majeſtate Senatum,
Seſe ad dicendum, mentiſque arcana fideli
Turbæ expromendum, quæ pectore volverat imo,
Compoſuit: tacitum tenet expectatio cœtum
Auribus arrectis. Dein, quid velit, ille profatur.
Vos, O cœleſtis, ſcitis, pia membra Senatûs,
Me mortale genus ſincerâ mente creaſſe;
Illos ut vitæ pariter, ſortiſque beatæ
Participes facerem; ſed quâ ſua culpa rebelles
Depulit indignos. Abraham mihi fœdere junxi

Per-

Perpetuo tamen: & ſtirpem de ſtirpibus unam
Elegi, Gnatumque meum, quem nunc quoque votis
Expectant, tribui, miſerâ qui clade jacentes
Erigat. Accenſâ face, tamquam aurora, Joannes
Prælucet Gnato: illius prænuncius omni
Eſt populo adventûs, iter & modò præparat, illum
Spiritus ùt docuit. Nunc urget denique tempus
Ut Chriſtus Domini fungatur rite ſalutis
Reſtaurandæ hominum officio. Sententia menti
Firma ſedet, Templum ædificare, hoc cujus uterque
Angulus à Lapide incipiat, coaleſcat & inde
E vivis tota, & ſacratis fabrica ſaxis,
Ac circumciſâ primùm de gente, deinde
Incircumciſâ. Hi maculas in flumine loti,
Spiritu & è ſancto, ſacrato in fonte renati,
Participes poterunt, heredeſque eſſe ſalutis,
Jam tum conceſſæ vobis ab origine mundi.
Hic ſcopus, hæc meta eſt noſtræ Sapientiæ, & unum,
In quo conſilii cœleſtis vertitur ordo.
Filius in terris meus, hactenus abditus, inter
Davidis regni, in minimâ quoque, Nazaret, urbes,
Matris & in tecto, regalis Virginis hærens,

Ad ripas hodie Jordanis progredietur:
Olli ubi Zacharides aditumque, viamque parabit
Ad Regis ſolium, modò quod conſcendet, avitum.
Namque tribu è Judæ, claràque è ſtirpe Davidis
Progenitum Jeſum Davidis ſceptra manebant,
Debita ab æterno. Quàm primum nomen Jëſu;
Audiit Angelicus conſeſſus, honorat adorans,
Concinit ac illi laudes, ter prona verendum
Procidit in faciem venerans pia turba miniſtrûm,
Moxque Cherubini atque Seraphini ordine velant
Se duplice alarum, clarâ dein voce canentes
Alternante choro: Benedictus Filius, ajunt,
Una Dei ſoboles: Sanctus, ter Sanctus, & heres:
Accreſcens Patris, ſceptri Davidis & unus! (bis.
Tum Pater omnipotens ſermonem his denique ver-
Proſequitur: Feſtum placet ut celebretur ab omni
Ordine Spirituum; ripas dum pergit ad amnis
Omnibus exemplo illic ut, famulante Joanne,
Mergatur fluvio. Ergo ſit feſtiva celebris
Illa dies vobis. Æquum nam ducimus, ut nunc
Jeruſalem cœleſtis ovet, quæ mox animarum
Eſt augenda novo cœtu, ceu meſſe frequentum

Ci-

Civium, ut innumeræ plebis, ductore rebelli
Lucifero, æternam reparet nova turba ruinam.
Urbem expecto novam Sponſam quæ cornua lunæ
Sub pedibus videat, contritaque colla draconis,
Audiat infernum frendentem, ſolis amicta
Lumine, labe carens omni: dum celſa ſedebit
In ſolio ſecura meo: poſt inde laborum
Oblivíſcetur cœleſti in luce ſuorum.
Hæc Pater: at Gnatus juſſis obtemperat iſtis,
Datque preces cœlo, ceu plenam thuris acerram:
Tandem progreditur, nunc ut caput erigat acer,
Votis & totis, dudum promiſſa peroſo
Lumina, commiſſum ſibi munus detegat orbi;
Se Servatorem tribuum demonſtret apertè,
Optarunt olim quem Reges, atque Prophetæ;
Omnes & Juſti, famâ vulgante citati
Qui modò proſpiciunt, illum tardare querentes.
Parte pedes quâcumque refert; velut aëre lapſa
Gratia deſcendit, pluviæ poſt nubila, dudum
A pratis expectatæ ſitientibus, ùt ſol
Pulchrior apparet; creſcens ac herba videtur
Luxuriare vigore novo; ver flore coronat

Colles, & valles. Pictor non pulchriùs unquam
Fallaci loca pigmento campeſtria fingat;
Dum variis ex arte coloribus irida miſcet:
Cantillant volucres, voces & alauda ſonoro
Gutture depromit, philomelæ imitata lepores,
Venaque jugis aquæ ſitientes irrigat herbas,
Verticem & inclinat cedrus. Natura recenti
Lætitiâ reparat vultum, & mutata videtur:
Imbres hiberni fremituque, diuque furentes
Prætereunt. Illecta thymi, floriſque recentis
Nectare ſugit apis ſua mella: nec ubere lactis
Caula caret: ſaliunt agni; omnis neſcia fræni
Lætitia eſt. Feſtiva tubam clangore ſonabat
Fama ſalutifero, clamanſque per oppida, & agros
Marcentes reficit: Properat Servator, anhelis
Optatus votis. Ædes vacuantur: agreſte
Ceſſat opus: nihili fiunt odiumve, favorve:
Commoda nulla alacres, incommoda nulla morantur.
Ille pedes properat; cymbâ devectus at alter,
Remis, & contis findit celerantibus undas:
Alter equo vehitur: vehitur pars altera curru.
Monticola excelſo plebes deſcendit ab Hermon:

Et

Et primæ Jordanis originis accola; quique
Vomeribus campos Galilææ utriuſque fatigant,
Navibus & gnari exercere Genezaret æquor,
Piſcibus & ſtruere inſidias, ruriſve, vel urbis
Incola: Gelboïcis plebes in montibus orta,
In quibus ipſe ſuo periit Saül improbus enſe,
Atque Samaritæ, quorum non impia luſit
Corda ſuperſtitio: quotquot Jordanis utrimque
Inſiſtunt ripis, properant. Gens docta ferarum
Indagare ſpecus, Aſphaltica littora circum;
Quique Seïr prope ſunt, qui Carmel inter, & Hermon
Arva colunt; cum Jeruſalem vicinia tota
Hâc voce evigilat: ſoles, quin ſupputat horas;
Hanc ut conſpiciat lucem ex oriente micantem.
Alter & alterius ſequitur veſtigia: eunti
Pulvis monſtrat iter; duxit quà ſemita nunquam;
Eſt ubi dumetis tellus, ac horrida teſquis.
Quiſque citat greſſus; quò turba frequentior urget.
　Pro genere humano Jeſus ſibi parcere nolens
Finibus egreditur Galilææ; interſecat inde
Arva Samariæ; tum per Judæa vaganti
Dextera erat Solyma, Aronis notiſſima ſedes,

Da-

Davidis ſolium; Regni dum ſceptra tenebat:
Emenſus demum eſt vaſti deſerta Quarenti;
Præconemque videt patrii Jordanis ad oram,
Mergentem populos in aquis, & reſpicientem
Ad ſonitum, ac hilarem, gratam quod cominus auram
Perciperet Domini. Turbatus corde ſed ille,
Se ratus indignum ſecum orat, & obvius olli
Hæc ruit in verba, à turbis audita propinquis.
Emmanuël, O Nate Deo, Sapientia Patris,
Servator mundi, Excelſum Mediator, & inter
Nos homines, omni expectatæ pacis ab ævo
Perfecturus ades columen jam conciliandæ?
Chriſte Dei, jugis tu fons, & origo ſalutis,
O quam mortales largo cornu ungis, Adami
Quos modò culpa premit, proprioque errore reatus;
Qui, ſcelerum nunquam tantorum vincla ſoluti,
Supplicium meritæ ferrent in ſæcula culpæ;
Tu niſi demiſſus Regno, gremioque paterno,
Indueres corpus; paterere ut nudus, inopſque,
Et ſaturos Moſis jam legibus & maledictis,
Tu populos omnes gratis à labe piares.
O! cui jam nuper, mundi venerande Redemptor;

Emi-

Eminus applauſi, nunc ſubmittiſne profundè
Indigno mihi te? Faveat Pater optimus auſo!
Ille, tuis precibus, det & incrementa benignus
Viribus exiguis noſtris! Ignoſce, profundè
Quod ſatis haud tibi me vilem ſubmittere poſſum!
Sic fatur? Dominumque in pulvere pronus adorat,
Davidis ſobolem, Regni qui fræna capeſſet;
Vaticinandi etiam prolixa repagula claudet,
Sanguineas pecudum ſtrages holocauſtaque tandem
Suſpendet; nunquam turbandæ pacis & ævum
Reſtituet fælix inter ſibi ſubdita corda,
A cœlo neglecta diu, velutique relicta.
Præconi primùm fido benedicit Jëſus:
Surgere deinde jubet ſuccenſum pectus amore.
Erigitur Præco, & ſic fatur deinde: voluntas
Eſt tua lex mihi: nunc ſervus, modò juſſeris, audit.
Jeſus ad hæc: Præcede viam! volo corpus in undis
Iſtud ut immergas, & purges. Ille tremiſcens
Horret, &, O facinus! clamat: num vilis arundo,
Vilior & nihilo, miſera obſitus undique labe,
Sacrilegâ hæc auſit corpus contingere dextrâ
Inviolata quod effudit, fœcunda ſupremi

Numinis illapsu, Mater: dum nempe placebat
Virginis ima sui, ceu vilis, opinio castæ:
Manna velut nubes olim effudêre pluentes.
Assertor, columen, salvator, lumen & orbis,
Ignosce indigno, repenti in pulvere vermi,
Qui mallet, cœli ut descenderet arce minister,
Munia qui jussu persolveret ista supremo.
Tune venis miserum ad me? Te sed ab omnibus ipsum
Hanc animam potius maculis purgare decebat.
Sufficiat, retulit Jesus, tibi nostra voluntas:
Exige tu jussum munus, tacitusque quiesce!
Indignum si forsan onus te credis ad istud;
Me decet, exemplo cunctis, speculoque futurum,
Ut patiens aliis præeam: nam quò caput ipsum
Lege in servandâ præcedit, membra sequuntur
Cætera non ægrè. Doctor sic diluit aptè
Discipuli maculas. Ter verba inclinat ad ista
Præco caput, tacitè præsens sibi Numen adorat,
Præceditque viam Domino. Innumerabilis autem (pore.
Turba hominum hunc ob utrumque hæret suspensa stu-
Sic matutinus Solis prænunciat ortum
Phosphorus, unde sui splendorem luminis haurit.

Ipse

Ipſe quoque admirans fluvius ſe torquet, & errat
A ſolito curſu, ac infra deſcendere metam (que
Viſus aquæ ſolitam, veneranſque, ſtupenſque, verenſ-
Ad plauſum, & ſtrepitum turbarum, infraque ſuper-
Trans, & cis fluvium, Populo non ſufficit ora. (que
Deſcendêre in aquam, placido quæ lenta ſuſurro
Murmurat: at vultum ſuſtollit in aſtra Joannes,
Et ter aquæ immergit puriſſima membra. Precatur
Interea Jeſus, quem cœli devorat æſtus:
O Pater! O Tibi nunc placeat demiſſio noſtra!
Hujus &, O! poſthac elementi corda ſacrati
Emundent vires meliùs, quàm flumine ab iſthoc
Mundatus Naäman conſcendit. At ecce! repentè
Apparet ſurſum cœli conſpectus aperti,
Illuſtrans Regale caput Chriſtique, Prophetæque,
Atque Sacerdotis. Cœlo ſpectacula digna
Aëris in medio panduntur, plena canore
Angelico: ceu Bethlemicis concentus in agris
Induti carnem Verbi celebraverat ortum.
Surſum ſuſpiciunt omnes: cernentibus altè
Eminus apparet candentis imago Columbæ,
Simplicitatis & inſigne: amnis fertur ad undas

Remigio plaudens alarum: illicque pependit
Tempore non modico, pennis suspensa quietis;
Perspicuè ut cunctorum oculis spectabilis esset:
Tum superinsistens capiti emergentis Jësu,
Lumine cum rutilo in puras evanuit auras:
Sanctarumque caput sic Spiritus ungere visus
Est tribuum. Mentes populi in diversa trahuntur:
Cum Patris auditur cœlo vox lapsa supremo:
Filius hic meus est dilectus, & una voluptas
Ille mei cordis. Cœli mox aula triumphat:
Turba ruunt, velutique Dei veneranter adorant
Sacratam Sobolem. Hic rumor, ceu fulminis ictus,
Conturbat terram, Solymæamque attonat urbem.
Fœlix Jordanis, aliis caput altiùs effers
Fluminibus! Multo te Spiritus ornat honore
Sacris in Scriptis. Tua per vada, transmisisti
Bis senas siccata tribus: Transivit Elias,
Ignivomo curru jamjam super æthra vehendus,
Discipulusque tuas sicco pede tutus arenas.
Tacta Ducis Syriæ tu putrida membra Naäman
Mundasti, & lepræ scabiem de corpore toto
Tersisti; vicibus septem dum mergitur in te.

Post.

Poſtquam verò tuâ eſt paſſus puriſſimus undâ
Se mergi, & corpus te tangens intemeratum
Servatoris, aquam Verbi virtute ſacravit,
Quaquà ſive patens totum cirumfluit orbem,
Seu fluit in venis; nemo præconia honore
Digna tuo referat. Nilus nam, Rhenus, & Iſter
Fluviorum rex, aut pontem indignatus Araxes,
Aut franum, & fuſcis Ganges habitatus ab Indis,
Auditu tua percipient miracula muti:
Millia multa tuo qui ſacro flumine lota
Corporis, ac animæ maculis purgata dediſti:
Grande Sacramentum recreandis gentibus aptum,
Symbolum erit turbis è ſacro fonte renatis.
Marmoris in fontem mutati clarior unda
Quàm Mare quod Solymæ ſacri obtinet atria Templi,
Bis ſenis nixum vitulis, templique miniſtris
Mundandis poſitum, Reges aliquando piabit
Omnibus à maculis, primâque ab origine labe;
Omnis quippe Patris primi, dein crimine culpæ
Contractæ proprio: furat uſque licebit avernus!
Spiritus intus agens Jeſum ſecedere cogit
A turbis; ut jejunans ſeſe armet, & oret.

Sedibus in tacitis deserti solus, & inter
Antra horrenda feris habitata; ubi tortilis anguis
Sibilat; & circùm terrentia spectra vagantur.
Hocce loci Môsen, pariterque imitatur Eliam,
Nulla quater denis gustans alimenta diebus
Noctibus & totidem. Post hæc præcordia cæpit
Sollicitare fames. Qui primum inimicus Adamum
Escâ decepit, ter vi majore secundum
Aggreditur. Sed tam validè quoque, terque repulsus
Est Satanas: sit mox ut vertere terga coactus.
Angelicus properè delapsus ab æthere cœtus
Post finem pugnæ, victorem heroa salutant,
Servitioque adstant, noctuque, diuque parati
Ad nutum: adversâ populum dum Præco docebat
In ripâ interea, procul haud Bethabarâ, & ingens
Contritorum agmen fluvii mergebat in undis;
Ut properè, cujusque animo sic rite parato,
Servatorem alacres, ipso præeunte, sequantur.
  Sic ardente suo dum munere fungitur æstu,
Eminus obscurâ venientes nube Levitas
Atque Sacerdotes, ex flumine conspicit ortâ:
Oppositæ accedunt oræ: jam littora scandunt:

Ante

Ante expectantem subsistunt, seque rogantem
Adventûs causam. Namque ex vultuque, habituque
Conjicere hoc vestro haud ægrè licet [incipit ille]
Esse Sacerdotes vos, altarisque ministros
Alloquio [referunt] ut nos dignere, rogamus
Hæc à Jerusalem nostra est legatio; jussu
Pontificis summi, summoque jubente senatu
Adsumus; eque tuo jussi sumus ore doceri,
In quo nempe gradu, aut te conditione locatum
Exhibeas. Varius rumor namque undique in omnem
Dispersus terram nobis haud certa revelat,
Quis sis. Anne istud Caput unctum Patribus olim
In columen populi promissum voce Moïsis?
Anne ardente flagrans zelo præcursor Elias
Magnus venturi Messiæ? Corde paratos
Ut decet, ecce omnes te mox agnoscere in illâ
Conditione, Deum tibi quam tribuisse patebit
Namque in honore suo venerari quemlibet æquum est.
Messias an es ergo; an vitâ austerus Elias?
Fare, age! quò jussum liceat persolvere munus.
Audiit attentè missorum verba Joannes,
Demissis in terram oculis, vultuque modesto,

A

Averſans titulos illum ad nimis alta ferentes;
Et Chriſti, jam tum Phariſæis invidioſi,
Et temere, & nimiùm præconia juſta prementes.
Ambitio lucrum ex alienis cladibus haurit.
Hoc Phariſæorum vitium depellat ut heros,
Demiſſi cordis clypeum induit, ac ita fatur:
O, nolite, viri, me adeo in ſublime levare!
Non adeo magnus ſum, humilem neque conditionem
Diſſimulare meam volo, nec volo vendere pluris,
Quam juſto precio. Ecce palam! non Chriſtus ego ſum:
Neve augere meum, jacturâ illius honoris,
Ambio. Perſiſtunt illi tamen uſque rogare:
Dic igitur, quem te credamus quoque voceris
Nomine! Num curru fortaſſe per aëra Elias
Qui vehitur; fama ut paſſim fert publica vulgi?
Non ſum; reſpondet Præco. Inſtant rurſus at illi:
Scire tamen nobis quid certi convenit. Euge!
Anne Prophetarum quisquam? Quo nomine? Non ſum,
Ille refert Magnus Juvenis tamen ille Propheta:
Mens humilis talem Vati ſed celat honorem:
Declinare ſuum, quàm ſervatoris obeſſe
Maluit. Ulteriùs Legati, atque acriùs urgent.

Ne

Ne quid sit dubium; re verò abeamus apertâ;
His, qui miserunt nos, ut responsa feramus;
Ipso de te quid dicis? Legatio nostra
Sic finem accipiet. Quis sis, age, clariùs effer!
Tunc tandem certo fatur sermone Joannes:
Vox ego sum clamans hæc per deserta Quarenti;
Nil nisi sed vox sum, vox quæ evanescet in auras
Ocyùs: os Malachiæ aliquot ceu dixit ab ævis,
De me vaticinans: vox sum prænuncia tantùm
Messiæ adventûs; ad quem perducere cunctos
Hoc clamore volo. Ecce venit nunc! Ergò paretur
Semita in adventum Domini, Natique Parentis
Æterni; inque vias, modò quæ sunt aspera, planas
Reddantur: celso tumidi nunc vertice colles
Subsidant humiles: vallisque impleta resurgat!
Jamque salutis erit mortali gloria cuique
Conspicua. Ulterius Legati quærere pergunt:
Si tu non Christus, nec Elias, neve Propheta es;
Unde tibi temere hæc ergò est assumpta potestas;
Hanc populi turbam ut purges, & flumine mergas?
At Præco, necui temerarius audiat, inquit:
Abluo corpus aquâ tantummodò: Filius autem

Excelsi, medius qui vos apparuit inter,
Advigilate! animas, & corpora diluet omni
A maculâ; munusque meum haud se porrigit ultra,
A me quàm quemque ut recto tantùm indice monstrem
Ad Christum Domini; quo non præstantior alter;
Cujus vincla pedum non sum dissolvere dignus.
Colloquii hic finis: sic illi à Vate regressi,
Transvecti flumen Solymæa ad mœnia pergunt.
O humilis rarum, & specimen mirabile mentis,
Sydera quanta tuæ descendunt lucis ad ortum?
Qui prælucebas Christo ceu Lucifer ardens,
Altiùs erigeris, quò te demissiùs ipse
Deprimis. Haud mitræ decus, haud Aäronis honores
Sollicitare animum pateris; sed inania censes:
Commoda cuncta tibi nam debita negligis: unus
Servatoris honor tuus est honor omnis, & unus.
Ille sequente die, zelo dum fervet eodem,
Et Jesum fortè accedentem conspicit, omni
Ostendens populo venientem, protinus infit:
Ecce Deo sacratus adest spectabilis Agnus,
Jamtum damnatus lanienæ, teste Prophetâ
Amoside. Paschalis eum portenderat Agnus

Jam

Jam dudum. Gladio vos percutientis hic Agnus
Angeli & eripiet; mundi quoque crimina tollet.
Sacrificus pecudum ſanguis delicta piare,
Sed nec ego his fluvii immergendo poſſumus undis;
Totius ſed Chriſtus onus qui ſuſtulit orbis
In ſe, ſolus erit, qui tergat ſanguine culpas:
Idque palàm fiet; dum ſanguinis ibit apertis
Fons ſaliens venis, placandoque hoſtia ſeſe
Offeret æterno, extremâ cum voce, Parenti.
Spiritus Excelſi, de ſummo lapſus in illum
Aëre, ſub ſpecie nive candidiore columbæ,
Hoc utique indicio manifeſtum reddidit, illum
Progeniem eſſe Dei, nunquam cui plena poteſtas,
Purificandi animas, cæli ſacro igne, deeſſet.
Perſtat Præco, metu inſuperabilis, atque favore,
Quottidie hæc eadem teſtari. Ex illius unde
Diſcipulis aliqui Chriſto ſe ſubdere certant;
Et Galilæam alacres repetentem ponè ſequuntur.
Nominis illius ſic creſcit fama per urbes.
Dum Præco interea populum mergebat in Ennon;
Atque ſuo turbas ad vera lavacra ſalutis
Mittebat; variis mundandi ritibus olim,

Præſcripto ex Legis, præſignata; è Galilæâ
Rurſus adeſt Jeſus, quem turba frequentior ambit.
Perque ſuos plebem purgari mandat in amne
Diſcipulos. Sic creſcit eum mox turba ſequentum.
De Doctoris honore ſui ſchola verò Joannis
Sollicita eſt; emundet uter perfectiùs, inter
Se diſceptabant. At rixas protinus ipſe
Compoſuit Præco, atque ſuis demonſtrat alumnis,
Jura poteſtatis ſibi non conceſſa fuiſſe
Majoris: non eſſe caput ſe, quod venerari
Omnes deberent: ſe tædam prærutilantem
Eſſe modò, vero de lumine teſtaturam:
Se Sponſum non eſſe, at amici nomine Sponſi
Gaudere, ac ejus ſeſe exultare profectu.
Diſcipuli demiſſa ſilent ad verba Magiſtri.
Me minui, exclamat, ſed eum ſuccreſcere oportet:
Ille ſinu è Patris, Domini velut unctus, ab alto
Lapſus adeſt. Meritò Emmanuelis gloria creſcat!
Diligit æternam qui vitam, expectet ab illo.
Qui non quærit eum, faciem ſpectare Supremi
Non poterit: ſpes extra illum non ulla ſalutis.
Ille, invincibili armatus virtute, tremendæ

In

Imperium mortis ſimul, infernique furores
Debellaturus properat, Satanamque ferocem
Exarmaturus, victum, vinctumque triumpho
Circumducturus, cunctâ cum plebe rebelli
Cœlorum Domino, ſpoliis à mœnibus arcis
Cœli ſuſpenſis. Luctetur, & infremat omnis
Inferni contrà rabies! Quodcumque reſiſtit
Servatori hominum, pedibus ſubdetur ovantis.





JOANNIDOS
LIBER QUARTUS.

Hæc velut ad ſtrepitum turbatur verba tonantem
Infernus: tremuêre cava; & ferrugine tinctæ
Panduntur valvæ, verſo quæ cardine ſtrident.
Fœtorem horrendum per ſpiſſa volumina fumi
Evomuêre lacus, cœli condentia lucem.
Æternæ noctis Rector, nutantis averni
Imperio metuens, mox infernale coëgit
Concilium. Hi celerant ad regia tecta, recurvis,
Implexiſque viis: ubi ſuſpenſa aula catenis,
Inter utrumque polum terräi interſecat axem
In geminas partes. Horrendi quidquid, & atri eſt
Huc fauces per mille fluit; dum tortile cornu
Perſonat. In medio comparet Lucifer, alto
Se locat in ſolio, quod ſubdita colla draconum,
Monſtrorumque ferunt. Caput ambit vipera nexu
Mul-

Multiplici; & bifidâ vibrans cum cuſpide ſceptrum,
Circumquàque tuens ardentia lumina torquet,
Et picis ardentis, cum vivo ſulphure, plena,
Et baſiliſci adipis ſuſpenſa in fornice lampas
Conventûs antrum, obductum fuligine ſpiſſâ,
Illuſtrat. Niger implevit ſubſellia cœtus,
Ordine quiſque ſuo, & mutorum more ſilebant.
Ille ſed, horrendùm frendens, ululatibus infit:
  O fidi proceres! qui damnatoris honorem
Ejuraſtis, & æternæ quoque jugia luci
Bella movere eſtis ſoliti, vos ſcitis, ùt olim:
Morſu uno pomi mihi ſit quæſita poteſtas
In genus humanum; & cæli, terræque, mariſque
Offerri quondam Domino ſolita hoſtia, noſtro
Cùm caderet cæſa, atque incenſa frequenter honori,
Ipſo etiam in Canaän, per jurgia acerba ruente,
Arbitrio ex noſtro in partes haud conciliandas.
Iſtud quàm noſtrum, perpendite, mordeat hoſtem.
Non hic ſumma ſtetit rerum, ſed longiùs ivit:
Partes in noſtras Phariſæos, Sacrificoſque,
Scribaſque, hebræi & Juris, Legiſque peritos
Traximus: ad nutus hæc noſtros turba parata

Fert

Fert animas thuris pereuntes instar abysso,
Tecta pietatis larvâ dum dogmata Legis
Detorquet, loliumque in Môsis seminat arvis.
Damnator noster labem compescat ut istam,
Præmisit natum Zachariâ Patre Joannem,
Qui promisso olim, hebræâque à gente cupito
Præparet heroi viam, eumque inducat in orbem.
Hi duo conspirant jam nunc, ùt tibia cantû.
Non in corporibus vos jam licet esse quietos.
Illius è mundo fugitis sed nomine pulsi.
Nunc vigilandi hora est: seu Præco, sive Magister
[Exitium in nostrum nam conjuravit uterque]
Nunc & uterque ruat! Primùm sed Præco Joannes
Occidat: occumbet parili dein clade Magister.
Vos alacres igitur præbete; &, Apollio, rerum
Credo tibi summam. Euge! tuas catus exere technas,
Ne nimis invaleant nobis cessantibus! herba
Suffocanda mala est, tenuis dum nascitur. Ite!
Hæc Satanas. Et spirituum mox turba malorum
Quà data porta ruunt, & terras, agmine facto
Pervolitant; veluti volucrum cùm murmure rauco
Turba rapax ruit in fœdum, putridumque cadaver.

Sic

Sic omnès avidè, Jeſſæà per arva vagàntes,
Prædam inveſtigant: nam perdere, ſive nocere
Quiſque dolis tacitis, ſeu vi contendit apertâ.

Jam nunc àſtriferum traha noctis vecta per æquor,
Ad ſummum culmen, pendebat utrimque, parata
Aëris in medio tacito deſcendere lapſu.
Quidquid reſpirat, dormitque, altûmque quieſcit,
In ſepibus volucres, animantia cætera in antris:
Nil formidantes oculos ſopor altus habebat.
Pontificem at Caïpham terrent inſomnia viſu;
Agnus ùt innocuus, Cidari redimitus Aäron,
Nititur in montem, ſolium ad regale Davidis.
Subdolus inter eas apparet Apollio curas
Pontificis, ſpecie Gabrielis, luce coruſcâ
Circumfuſus. An hic placidè, inquit, magne Sacerdos,
Te dormire juvat? Summo in diſcrimine munus
Eſſe tuum, infælix, neſcis, lapſumque minari?
Sacrificus venit, ecce, novus, decimaſque, decuſque
Eripiet tibi qui capitis: fruſtraque laboras
Exorare Deum, placare aut thuris odore.
Jam nunc Pontificem, evigila! invehit, ecce, Joannes!
Jura Sacerdotî pereunt; gradus omnis honoris

Deperit. Hoc dicto in tenues evanuit auras.
E strato Caïphas ruit anxius, obstupet horrens,
Suspiciosus, iners, pavidus; per frigida membra
Undans sudor iit. Nigris dum spiritus alis
Noctivagus celeri lapsu Macherunta petivit,
Circumagens auro fulgentem vertice lunam.
Hic multo Herodes somno, vinoque sepultus.
Stertebat; visus coràm cùm spiritus idem,
Sub patris specie latitans, ita farier infit:
O Fili! exutum heredis te jure videmus,
Nec mora longa super, mea quod postrema voluntas,
Roma quoque in propriam jussit tibi cedere partem.
Imperitandi avidus dextrâ solerte macheram
Sumat, & utatur sumptâ, nec fasve, nefasve
Anxius indaget. Regni sic sceptra tuetur,
Acquiritve heros. Romanâ sic colla securi,
Marci Antonii ope, sunt decussa in pegmate stirpis
Asmonæorum postrema; quod Antiochiæ
Regia spectavit. Sic Regni cedere fræna
Debuit Antigonus nobis, à stirpe paternâ
Illius possessa diu. Tu denique cessas,
Negligis & tempus? Tua, proh! quam sceptra vacillant!

In-

Inſidias ſtruit invidia; & vigilare negabis?
Ergò para Regnum ocyùs evacuare paternum.
Gratiam Eremicola in populo ſibi vendicat amplam,
Et renovare ſtudet Legis decreta vetuſtæ,
In Domini obſequium. Interea te mollia lecti
Delectare magis poſſunt, quàm cura tuendi
Imperii? Senſim dum cœli ad ſydera creſcit
Fama viri. Legem mutare, negotia regni
Turbare, & mutare ſolet. Tu ſtirpis Idumæ
Surculus es, nec Jeſſæo de ſemine cretus,
Degener hic jactat de quo ſe, tollere vitam
Cui pridem inſtitui; quem verò cæde petivi.
Eheu! infantum fruſtra. Stirps illa Davidis
Radices altas populorum in cordibus egit:
Illi ſe jungunt omnes. Habitator eremi
Faſcinat incautorum animos: dum ſemina paſſim
Seditioſa ſerit. Seges eſt reſecanda ſub ipſo
Corpore adhuc tenuis. Præconem corripe primò.
Sub cinere & gliſcens ſic mox reſtinguitur ignis.
Finierat dæmon, nec longo tempore viſus
Regalem ante thorum, cæcis ſe condidit umbris.
Exerit, attonitus nocturno murmure, bina

Brachia Rex trepidans pallentem patris ad umbam;
Aëra ſed vacuum nil præter captat, & addit:
Quò te? Siſte gradum, Pater! O Pater optime, ſiſte!
Quò fugis, heu! Remane, ignarum porrò inſtrue Gna-
Machina monſtrandis componitur utilis horis, (tum!
In varias diſtincta rotas, quæ dente cohærent
Dentibus inſerto, & coëunt ita corpus in unum
Pondus deinde ſuâ inferiorem mole rotarum
Circumagit: ſed, dente premens dentem, illa ſecundam:
Altera ſic porrò movet alteram, & ultima virgam,
Pendula quæ, ſtabili ſemper curſu, atque recurſu
Alternante vices, tandem irrequieta vibratur.
Haud ſecus ambitio Mitram, ac Diadema quieta
Non ſinit exagitans, noctuque diuque vibrando
Excruciat miſeros: nam conſulit alter & alter,
Quiſque ſuam quâ poſſit ab incumbente periclo,
Quod ſibi confingit, ſedem ratione tueri.
Perculſus Caiphas animi anxietate, Senatum
Templi ſupremum monuit vigilare novantum
In technas, audent qui contradicere Legi,
Inque modum creſcunt mirum, ſimul oppida, & agros
Circumcurſantes peragrant, Patrumque vetuſtam

Le-

Legem lege novâ furtim obscurare laborant,
Ille sub insoliti fictâ pietate rigoris
Et vinum fugiens alimentaque publicè in usu.
Comis hic, atque hominum generi tractabilis omni
Signa per haud ægrè mira apparentia, curas
Et morborum aliquot, deluso. Commonuitque
Sollicitè ut caveant, ne gratia Cæsaris usquam
Læsa ruat, solumque ipsum, cui summa potestas
Regnandi est, alium nec quemvis esse colendum.
Nam meminisse omnes poterant, ùt, prospera cuncta
Dum sperabantur, Pompæi irata securis
Portas ac turres, & mœnia vulserit urbis.
Nulla Levitarum quamquam curare Pilatus
Jurgia credatur, tutum se servat & auget
Excubias, tacitusque notat pro munere jusso
Concilii errorem, ægrè purgandum ante tribunal.
His in Jerusalem sese inter motibus ardent.
Diditur in medium suspensâ mente Senatus,
Anxius haud ausus sua promere vota. Joannes
Magno magnus apud turbas in honore Propheta
Captus an obscuro premeretur carceris antro?
Jesus at insidias declinans, in Galilæam,

Herodis regnum, ſe ſubtracturus abibat,
Aut aliò quòquam, lucem allaturus in umbrâ
Degenti populo, ut ſua per miracula, & oris
Sermones Doctor, Ductorque errantibus eſſet.
Herodes Rex verò, quieſcere neſcius, omne
Perveſtigat iter, quâ ſub rationis honeſtæ
Splendenti ſpecie cultorem prendat eremi.
Turturis & veluti vulpecula callida nidum
Indagat ſpeculata, inopinoque impete tandem
Obruit innocuos. Sibi credita munia Præco
Proſequitur, ripas ad fluminis ulteriores,
Ultima quà regni Herodis confinia tangunt
Rupigeros Arabum fines, ditionis Aretæ.
Huc gener accedens [Herodiade in comitatu
Aſſumptâ] Phariſæis inſtigantibus, offert
Huic ſe cœleſti Juveni, impertitque ſalutem.
Hic, cum diſcipulis, in pulvere corruit ore
Ante pedes Regis, populo inſpectante frequenti,
Doctorem circùm qui cingit, & undique ſtipat:
Inſtar apum, denſo quæ regi examine adhærent,
Sectanturque ſuum per prata virentia & agros.
Deſcendit curru Antipas; Proceresque ſequuntur.

Se-

Sevocat à turbâ Juvenem; quà quercus opaca
Temperat ardorem, & gratam frondibus umbram
Sufficit. Hinc Procerum paulisper turba recedit:
Sicque locuturis spatiumque, locumque relinquunt.
Reges hic resident in vivo cespite campi.
At Juvenis residere negans, à Rege frequenter
Quamquam invitatus, recto stat corpore firmus,
Dextrâ, lævâque innixus baculo, ante sedentem.
Tum Rex humanus, blandèque affabilis infit:
  Cœlestis Vates, quanto dulcore placebant
Eloquiumque tuum, & vultus, doctrinaque sana,
Auribus, ac oculis, mentique infusa, subinde
Auditum te dum veni non agnitus ulli
Ex hac plebe tamen, tibi quæ lappæ instar adhæret,
Et purgata in aquis, ac emendata, sacrata hæc,
Imparia angelicis nequaquam, suspicit ora?
Rarescunt vitia; & mores augentur honesti.
Te virtute probi amplectuntur, amantque, coluntque,
Improbus ùt metuit: meritò nam quidquid iniqui est,
Arguis haud simulans; virtuti & præmia spondes.
Jam dudum est, ex quo affari te quæro, Propheta!
Quæ causa est, sodes! tu quod conferris Eliæ?

Sic

Sic vulgatur enim, paſſimque ea fama vagatur.
Redditus an nobis, ſpecieque tuâ abditus adſtat
Noſtris coram oculis? Aut eſt tibi nomen Eliæ?
Num forte es Samuel, potiùs vel filius Amos
Meſſiæ adventu populo ſólamina præbens,
Hunc fore, qui miſeros tandem, tot cladibus actos,
Liberet, externumque jugum à cervice revellat.
Inſtrue nos ergò; ut ſecuri, errore remoto,
Te, veluti par eſt, digno veneremur honore!
  Divini ſolis perfuſus luce Joannes,
Fallitur haud fuco: at radiantis lumine viſûs
Cor ſimulatoris penetrat, latitanſque venenum,
Heroi capiendo inhians ſub imagine recti,
Materiæque Viri è ſermonibus eliciendæ,
Illud apud populum facinus videatur ut æquum,
Non tamen obliquè, intrepidè reſpondet at ille:
Mî, licet indigno, titulum Deus obtulit iſtum:
Nomine, apud vèteres quoque, me decoravit Eliæ.
Illius ergò viæ me nunc decet eſſe tenacem,
Neve timore odii, ullius ſpeve favoris
Flectere, quod rectum eſt. Miracula perpetro nulla,
Plurima ſed, quantus fuerit, teſtantur Elias.

Ardenti zelo cultum arguit ille Deorum,
Et furiatæ iras fugiens Jesabelis Achabi
Delituit specubus, vivusque sepultus in antro,
Angelicâve manu, corvove alimenta ferente.
Sic ego delitui, cum Patre sepultus in antro,
Pusio adhuc: mihi ubi quoque detulit Angelus escas:
Cùm tuus Herodes Pater iratusque, furensque
Non metuit diro puerorem tollere ferro
Innumeras animas: cuperet dum perdere Regem,
Ex oriente habuere Magi quem summo in honore,
In vili quamquam stabulo. Sed cuncta Gubernans
E radice David sobolem, non regna parantem
Terrena, aut sceptris inhiantem, sustulit iræ.
Hic, patiendi ergo, mortales induit artus;
Delapsusque sinu è Patris, submissus honorat
Patris jussa sui, ad mortem pius, atque fidelis.
Ipse, Deo obstrictus, nec honorem, aut præmia quæro,
Nec quidvis aliud, quàm ad eum dimittere turbas, (que,
Testarique palàm, illum in Pontificemque, Prophetam-
Et Regem esse unctum, & modò se præbere videndum,
Quemque cruore suo ut piet, atque placentia Patri
Edoceat, Regnumque æternum ut condat in ipsis

Cordibus humanis. Series non parva vetuſtûm
Hunc avidè optabat Regem. Nunc prodit ùt Agnus;
Ut Leo poſt rugiens venturus, nubibus alti
Invectus cœli, Judexque ſeverus, & Ultor
Incircumciſûm, circumciſûmque futurus.
Quid tuus ille Pater diri violentus omiſit?
Summa, nec ima ferox, veritus ſacra, neve profàna;
Non generi, aut ſtirpi, rabie ſtimulante pepercit.
Sanguinis Aronis ſitiens, ſtirpiſque Davidis,
Hoſtis Hebræorum juratus matris ab alvo,
Donec, lamentis reſonantibus urbibus, ipſe
In tumulum illatus jacuit. Teſtatur id ipſum
Illius miſerè laqueis Hyrcanus inhærens,
Sanguine & in proprio Sanedris proſtrata volutans,
Vi vacua è plebis ſubſellia fece repleta
Obruta vi Sancta, & venum quoque turpiter auro
Expoſita, effuſus fratrum, ſanguiſque ſororum,
Illorum & ſoboles, quin propria pignora gnati,
Ipſa thori & Conjux, cœleſti digna coronâ.
Tu, Rex magne, tui ſequeris veſtigia Patris;
Neve Deum, nec juſſa Dei, nec ſacra miniſtrûm
Munia, neve chorum revereris. Polluis effrons

Le

Legis mandata: exhauris æraria civis;
Vivis in opprobrium Regni, quod tempus in omne
Nominis Herodis famam fœdabit, ab ortu
Solis ad occaſum; quod nec violare rubeſcis
Inceſtu fratris thalamos. At plura parantem,
[Ægrâ Herodiade in Dominum inſpiciente ſilentem]
Rex interfatur, manſuetâ, & voce modeſtâ:
Aulicus ùt mos eſt, animum fucare parumper.
Sancte Propheta Dei, tu ſana alimenta propinas,
Ori dura tamen, ſtomacho duriſſima verò.
Sic decet Excelſi Legatum, nolle pavere
Regis ad aſpectum, nec formidare potentem,
Cædis, adulteriive reum. Sic audiit olim
Corripientis Achab, Jeſabelque cruenta, Prophetæ
Aſpera verba: Deus quicum commune volebat
Eſſe tibi nomen. Gratos tu nos ſed habebis:
Virtutis decorandæ hodie eſt occaſio nobis
Facta tuæ. In noſtram curru vehere ocyùs aulam;
Si viſum eſt; patiturque tuum ſi munus, & ordo.
Nunc Vates eſto in mediâ ſpectabilis aulâ!
Ille negat: vulpes at callida fortiùs urget:
Jungite, clamat, equos currû! Junctique quadrigis

Mox illi steterunt. Subitò cœlum omne remugit
Et clamore virorum, fœmineoque ululatu.
Imminet Herodi cùm seditiosa procella,
Se profert ætate gravis, mentisque Senator
Solertis, populi blandis sedare tumultum
Nititur incassum sermonibus. Armigerorum
Turba fremunt, plaudunt pedibus cum murmure diro;
Et Rex ipse pavet; pavet ipsa & adultera conjux,
Et proceres: armis cinctus pavet ipse satelles.
Interea è tumulo turbis dat signa Joannes,
Protendens dextram. Arrectis cuncti auribus adstant:
Talibus inde modis ora hæc in verba resolvit.
O mihi dilecti! colitis post Omnipotentem
Cæsara qui prompti, tùm vobis excidit omnis
Jam nunc doctrina, hausistis quam nuper ab ore
Ergò meo? Heu miserum! Quis vos agit improbus istam
Spiritus in rabiem? Num sic mercede meretis
Dignâ contenti? Num sic incommoda cuivis,
Sive inferre manus violentas dedidicistis?
Sic vos morigeros dominis servire putatis?
Cæsar in hunc finem vobis non alligat ensem
Hunc lateri. Quod si forsan juvat ense ferire;

At

At Majeſtati prudentes parcite ſaltem:
Pectore in hoc potiùs capulo tenus abdite ferrum!
[Nudavitque ſinum] iſto fonte cruoris aperto
Hanc ſedate ſitim! Vobis nam tradere malo
Hanc vitam, minimum quàm cædi, & ſeditioni
Quodvis mancipium. Regem delectat in aulâ
Servum audire ſuum. Cœli quod vortat honori.
Ergò bene! His dictis murmur ſedavit, & iras;
Herodemque ſequens currum conſcendit in altum,
Et bene, mœrenti populo, afflictoque, precatur.
Triſtibus illi oculis, lachrymiſque ſequuntur obortis
A longè currum celerantem. Sperat & ille;
Alter ſed metuit; medius dum tertius hæret,
Optat & eventum populo in commune beatum.
Nudipes à longè ſequitur ſchola tota Magiſtrum.
Fama ſuſurrat, & affirmat, ſed ſeriùs, Eheu!
Hoc Phariſæorum technis Herodis in aulâ
Ex odio, invidiàque gravi, ſcelus eſſe paratum;
Quòd coleret Chriſtum, illorum quoque lumini obeſſet.
  Sol veſpertinus medium jam pronus in undis
Occiduis vultum mergebat: Luna bicornis,
Parte ſuâ mediâ obfuſcata, ſubibat in ortu.

Regis quadrijuges, ſub nube à pulvere denſâ,
Ponte ſupervecti penetrant Macheruntis in arcem,
Prædâ exultantes. Tunc Vatem quiſque ſalutat,
Adventumque bonum impertit. Mandante lavantur
Rege pedes illi reverenter. Fercula menſas
Lauta deinde onerant. Ille autem, ùt Regis amicus,
Atque Propheta Dei cultus, diſcumbit in ipſo
Menſæ regalis capite. Argentique paropſis
Plurima, regifico luxu decorata, gemebat
Sub dapibus, variis variiſque oppleta palati
Deliciis. Nihil hæc irritamenta Joannem
Sollicitant equidem, nunquam os apponere ſuetum
Ullis aularum illecebris vinique, cibique.
Tamquam in deſerto, mediâ jam vivit in aulâ.
Hauſtus aquæ potum mel illi alimenta miniſtrat.
Regiâ Eremicola aſſuetam ſic ſemitam in aulâ
Proſequitur. Diſcumbens è regione Joannis
Ad Regis Regina latus geſtuve, modove
Non iras, non ullo odium, manifeſtat amarum,
Blanda ſed, & comis, Juvenique humana videtur:
Quidquid & ex oculis reſplendet, ſpirat amoris
Signa, & amicitiæ. Diſpenſat at ille decenter

Ad

Ad latus, aut in humum sua lumina. Tam pia vultûs
Offendit species, irritavitque pudore
Exutum pectus muliebre vorace remorsu
Convictæ scelerum mentis. Possessa probrosi
Spiritu adulterii, furiisque agitata doloris
Nunquam placandi, vultûs ita se cohibentis
Aspexit Juvenis speciem velut improperantem
Crimina criminibus se nectere, & accumulare.
Herodes haud pauca rogat de rebus, & actis,
Deque Prophetarum fato, sed maximè Eliam
Quæ spectant, rogitat, quì raptus in aëra curru,
Vectus & in cœlum; Jesabel quî quæreret illum
Omnibus insidiis, at frustra. Singula Vates
Reddit ad hæc placidè conformia verba rogatis.
Sic trahitur tempus provectæ noctis ad horam.
  Assurgit triplici fossâ circumdata turris
Edita, non longè torpentis ab æquoris undâ,
Ædibus à Regis plus quàm semota trecentis
Passibus. Innocui non rarò sanguinis illic
Effusum est multum, falso de crimine facti
Sæpe rei. E saxo Herodes pro carcere molem
Struxerat hanc. Aër spissos, minimèque salubres

399. Cla-

Clathris inſinuat ſtagno è torpente vapores,
Paſſim exhalantes, piceâ comitante mephiti.
In muris volucres vel nidificare rapaces
Horreſcunt; ſibi ne mala peſtis adhæreat illa.
  Finitâ tandem cœnâ, menſiſque remotis,
Hoſpitem, ait vulpes ſimulatrix, verſique-pellis,
Hunc, Præfecte, meum duc in conclave quietum,
Semotumque locum! Namque ille Propheta videtur
Secreta ad tranquilla magis, quàm natus ad aulam.
Ilicet accendunt tædam: ſtipante Joannes
Præfecto latus inſequitur præeuntia lætus,
Securuſque ſui, hanc ad turrim lumina. Porta
Cardine ſtridenti reſeratur ahenea. Is intrat
Carceris obſcuri latebras: ubi bufo, frequensque
Perreptat limax pavimentum. Storea fulta
Stramine nuda tegens à frigore membra tuetur.
Servantur validis hæc carceris antra moloſſis,
Excubiiſque, per alternas vigilantibus horas.
Poſtera diſcipulos vidit lux ante cataſtæ
Cancellos. Animis ægri, triſteſque magiſtrum
Corruptum aſpiciunt fetore, ſituque, verenturque
Affari miſerum. Sic olim viſus Jöſeph

In-


Incluſus caveæ, pauper, ſolaminis expers,
Dives at in Domino, & ſecurâ mente quietus.
Infælix O ambitio, O obſcœna libido!
O Phariſæa dolis exercita turba nefandis!
  Haud ſecus ac tonitru, horrendo ſtrepitante fragore
Procurrens, montes, ac turres concutit altas
Urbibus & totis trepidantibus, ima pavore
Corda replet; pallente gelu tremefacta rigeſcunt
Millia multa hominum momento temporis uno.
E ſomno ſic evigilant, quicumque tenentur,
Quo res ſit loco, adhuc dubii: ruit undique fama
Erumpens ſubitò, conjectum in vincla Joannem.
Eſſeni, Phariſæique, Herodiſque clientes
Rixarum obliti coëunt, unàque laborant
Et placare animos, ſpeciem & recti indere facto
Huic tam ſacrilego. Urgetur, gemitur, petiturque;
Ecquid deliquit Vir ſanctus? Hypocriſis autem
Oblatrat extemplo; Si circumſpectiùs ille
Regalem majeſtatem monuiſſet, ùt olim
Nathan Jeſſæum duplici vel crimine Regem,
Cædis, adulteriique reum, patientiùs illum
Herodes utique audîſſet. Decet anne Prophetam

Hunc adeo crudè in faciem objectare reatum
Reginæ, Regique ſuo? Hoccine digerat aula?
Tale probrum graviter ferrent, & jure, minores.
Conciliat, placidè qui corripit, atque modeſtè,
Correptorum animos. Jeſus mox in Galilæam,
Judææ ex regione redux, evitat, ad iſtum
Rumorem, multùm Scribas in plebe valentes.
Dum rutilans aurora diem prænunciat orbi,
Luminis ante omnis fontem; lux ipſa deinde
Exoriens, radiis majoribus illius ignem
Extinguit ſenſim. Sol denique ſurgit, ab ortu
Occaſum verſùs properans, illuminat omnes,
Atque calore ſuo fovet omnia; vivificatque,
Quod ſiccum, exſuccumque jacet, terrâque ſepultum.
Nubes quandoque, & nebulæ, ne ſplendeat, obſtant:
Se tamen erumpit, ſenſimque micantior exit;
Viventum ad ſe oculos non vi convertit, at ultro:
Servat iter ſtabile, in ſpatiis cœleſtibus errans
Progignendi operæ, aſſiduèque incumbit alendi,
Donec circumiens tandem percurrerit orbem
Signiferum, & cœli, quantùm patet, oſtia claudat;
Præſcriptâ ſibi ab Excelſo lege, utilitati

Hu-

Humani generis; quâ juſtior altera non eſt.
Sic ſe Præconem, & Chriſtum res inter habebat,
Et minus, & majus lumen, cœleſtis honorem
In Domini exoriens humana ut corda, tenebris
Immerſa, illuſtret. Lucet Vox prævia; verum
Adventum ad Verbi radiantis luce perenni,
Decedit Luci, lucem a quâ mutuat omnem;
Cujus & exortu ſenſim evaneſcere cœpit.
Interea Servator obambulat oppida & agros,
Nunc excelſa petens, deſcendens rurſus ad ima;
Ut monitis populum, & ſua per miracula Patri
Acquirat. Licet impietas, & hypocriſis, ejus
Cœleſtis lumen doctrinæ obnubilet: ille eſt
Auris ſurdorum, cæcorum lumina; linguæ,
Oris & officium mutis, claudis manus, & pes,
Solamen mœſtis, cibus eſurientibus, ægris,
Leproſiſque ſalus, functis, & vita ſepultis.
Redditur à Verbo ſic gloria magna Parenti.
Spiritus, infeſtans mortalia membra, coactus
Egreditur; tumidis, Dominus velut, imperat undis;
In templo plebemque docet, plebiſque magiſtros;
Et vocat ad veniam peccato obnoxia corda.

Non domus, aut limen remanent, non æquoris alta;
Illius incalcata pede. Et ſic ille viciſſim
Veri Sol percurrit iter. Numerus duodenus
Heroum [Chriſtus ſibi quos ſacraverat, orbem
Ut ſale, deſumpto Meſſiæ ex lege, ſalirent]
Sunt duodena velut ſigna, hunc monſtrantia curſum,
Divini Solis, Patrum per vota petiti.





JOANNIDOS
LIBER QUINTUS.

Quò ſanie exardens neglectum pectoris ulcus
Duriùs à medici, irrepentem ſiſtere labem
Curantis, dextrâ contingitur, & vacuatur.
Hoc magis infirmos vis urit acuta doloris,
Curari nimis horrentes cruciatibus iſtis,
Præceptiſque ſalutiferis parere negantes.
Hæc Herodiadis laſcivæ, irâque tumentis,
Conditionis erat ratio. Illa gravi ulcere fœdi
Inceſtûs languens, animiſque attacta medentis
A dextrâ, medicum, ſimul & medicamina damnat,
Cordi morigero medicamina certa ſalutis.
Legitimo infamis meritò eſt odioſa marito:
Ne ſit ab inceſto pariter pellenda, veretur.
Ultrix ira igitur corrodit pectoris ima.
Unda velut jugi ſtillatum deflua lapſu

Saxa cavat; cineri aut ſopitus qui latet ignis
Fumigat ùt primò, dein flammas ſurgit in altas;
Aulam, inter populi fremitus, incendio & urbem
Totam involventes: ut flumina nulla furorem
Hunc in ſublimè elatum reſtinguere poſſint.
Jamque ſuos inter Cenſorem detinet ungues:
Sed dolet in vinclis etiamnum ducere vitam
Infauſtum, tenebras, ſqualorem & carceris inter:
Vindictâ ſatiare animi rabiem improba præfert
Lecti deliciis. Occaſio nulla furentem
Præterit: affatur Regem ſub nocte ſilente;
Illum laſcivi dum corripit æſtus amoris:
Te propter ſum paſſa, tuum &, Rex, propter amo-
Opprobrii tantum; lecti à conſorte nec unquam (rem,
Exegi munus. Quàm, ſcis, in corde profundum
Vulnus alo venis. Delectat corporis hujus
Si decor Herodem, & tot guſtatæ illecebrarum
Per me deliciæ; nomen, famamque pependi
Te propter nihili; invidiam fero conjugis acrem,
Invidiamque patris, ſtirpiſque, & ſanguinis omnis.
Hæc in me valuit ſtimulantis fervor amoris.
Tu ſed adhuc pateris [cujus te tempore nullo

Non

Non pigeat] sylvester homo ut mihi, te quoque coram,
Improperet, tecum incesti quod commorer instar
Prostibuli? Et toleret Princeps patientiùs istud
In ditione suâ? Dudum hoc sensisse valenter
Te decuit. Vili, modicoque cruore vereris
Ergò meum placare animum? Nec inhæreo tandem
Tam, veluti simulas, cordis penetralibus altè
Fixa tui? Illa gemens hæc fatur: & ipse gemebat
Ejus dividiâ motus. Quod sensit ùt illa;
Blandiùs ambabus turbatum amplectitur ulnis,
Accenditque animum languentem Regis amore
Fervidiùs: serpit per venas, perque medullas
Flamma recens; & utrimque novos testantur amores,
Deliciisque sibi liquidis gaudere videntur.
Sic brevis illa, sibi quam finxerat Eva, voluptas,
Fatalis pomi succus, præcepta supremi
Numinis, & legem contra gustatus apertam,
Constitit illique, & Consorti, ac posteritati
Corporis, ac animæ simul, æternæque salutis
Naufragio. Specie Rex captus deinde venustâ,
In vultu fingens, oculisque natantibus ipsas
Cernere se Charites, volitantumque agmen Amorum,

So-

Solatur mœſtam, & blandis his vocibus infit:
Vile foret munus, mea chara, O labra, genæque
O roſeæ, angelicis meritò libanda labellis!
Si majeſtatis probrum tibi jam modò vel nunc
Damnarem: te nec prolixè ovare neceſſe eſt.
Verùm, num regni patiatur cauſa, videndum (mem,
Propter Eremicolam, unum hominem vel propter iner-
Mittere in ambiguum ſceptrum, & diadema periclum,
Et totum ſubito regnum turbare tumultu.
Teſtis es ipſa quoque, ùt penſi nullius habebat
Aut ſceptri, aut legum vim, dum caperetur Eremi
Incola; vix etenim quin in nos turba ruiſſet,
Abfuit. Inſignis terrâ celebratur in omni
Fama viri; in Syriâ vulgòque Propheta vocatur.
Tange Prophetarum quemquam; tetigiſſe pupillam
Mox oculi dicêre Dei, atque videbere paſſim
Pejor apud populum Jeſabele, & pejor Achabo.
Regni in corde minis terremur: finibus autem
Regno contiguis odio ſumus. Ipſe Philippus
A boreâ frater terret, muriſque minatur
Vindictæ cupidus; te quòd rapui, & violavi
Jura ſui thalami. Sed ab ortu ſolis Aretas

Rex

Rex Arabum à nostrâ stimulatur conjuge, pàtris
In regnum profugâ, nobis ut bella parentur.
Quid Judæorum à populo sperare licebit?
Quove loco res cum vicino nostra Pilato
Præside stet, patuit: rebus se quærit alîus
Immiscere libens: quidquid prodesse videbit
Posse sui augmento, arripiet mihi subdolus hostis
His ita dispositis, igitur mihi parce parumper!
Sum tibi præsidio, & maneo; doleoque dolores
Ipse tuos, mea lux! Observo sed omnia cautè;
Et volo, quàm primùm tempus maturuit, omnis
Hoc de Sylvicolâ vindictam sumere noxæ,
Is tibi quam nocuit. Grates agit illa locuto
Sic Regi, blandis oculorum lumina gyrans
Illecebris. Sed Rex, post oscula mutua, tandem
Qualicumque animi curas componere somno
Tentat. Cujusvis ignara sed illa quietis,
Vindictæ cerebro turbas fovet. Exulat omnis
Hinc sopor. Assiduò sibi namque audire videtur
In cœno incestûs, turpisque libidinis hæres;
Prostituisque tuum infami rumore pudorem.
Carceris in tenebris Zachariæ Filius audit

Nuncia, diſcipulis referentibus undique, Christus
Circumiens ùt per villas, per rura, per urbes,
Innumeram populi ſua per miracula turbam
Cogeret; omneſque, ejus opem, auxiliumque rogantes.
Curaret: quocumque etiam languore tenentur.
Quin adoleſcentem functum, jam penè ſepulchro,
Illatum, matri redivivum reſtituiſſet.
Par igitur fidum ablegavit diſcipulorum
Ad Servatoris divina oracla, petitum,
Promiſſum foret an Caput id, quod Numinis unxit
Larga manus: Sibi ſit verò expectandus an alter,
Inferni ſua colla jugo qui libera præſtet.
Illi opportunè juſſa exegêre Magiſtri:
Dum turbam auxilio Jeſus curabat egentum;
Dæmona pellebat; reddebat lumina cæcis.
Tum ſic Emmanuël: Teſtes eſtote fideles,
Quid Deus omnipotens poſſit: quæcumque videtis,
Quidquid & auditis, veſtro memorate Magiſtro!
Non verbis, oculis potiùs ſed credite, & auri!
Et viſus cæcis, & ſurdis redditur auris;
Ambulat & claudus: teſtis quin eſſe Sacerdos
Cogitur ingratìs, mundata frequentia ſæpe

Quan-

Quanta leproſorum fuerit, corroſa malignâ
Tabe diu: defunctorum rediviva reſurgunt
Corpora. Judæi obduratæ mentis, egeni
In cœli rebus, per nuncia noſtra, ſalutis
Diteſcunt opibus, perituris tempore nullo.
Quàm fœlix, lapidem qui non offendit ad iſtum;
Quod Deus indutus carnem deſcendit in orbem!
His dictis, remeant ſua per veſtigia miſſi.
  Tunc omnis Veri oraclum altâ voce Joannis
Coram omni populo celebrans præconia, fatur:
Si vobis humilis Zachariæ forte videtur
Filius, aut vilis, quod noſtro à lumine lumen
Miſerit accenſum; componitur ille minori
Luci, ego majori; fonte ex quo, quiſquis egebit,
Accipiat lumen. Quod ſi vilem ergò putatis;
Urbibus, ac vicis igitur cur quiſque relictis
Ad deſerta loca, & patrium properaſtis ad amnem?
Quid viſum iviſtis? Num forſan, arundinis inſtar
Mobilis ad ventos omnes, hominem? Ille Joannes
Non erat: impavidus, rupe ac conſtantior omni eſt.
Nec formidat adulterii contage nocentes;
Nec ſcelerum horrendo Reges in gurgite merſos.

Caſtigat corpus ſpeluncis abditus atris,
Carceribuſque ſuum, contentus paupere victu.
Quid viſum exiſtis? Num contra frigus acutum
Mollibus indutum, calidis ſeu veſtibus? Anne
Aut Tyriâ indutum chlamide aut velamine ferum?
Mollitiem, & luxum vitioſis quærite in aulis!
Totus adulando mundus ſibi complacet illic:
Regis amicitiam ſibi conciliare laborat
Quiſque illic ob vile lucrum, ſed lege, Deoque
Poſthabitis lucro. Quæſiviſtiſne Prophetam,
Qui ducat populos ad Veri lumen? Is ille
Tunc erat, & nunc eſt, quin major & ille Prophetâ;
Eſt, me qui intrepidèque, palàmque profeſſus
Eſſe Dei Chriſtum, ſed ſe clamantis apertè
Ad reſipiſcendum vocem, evaneſcet in auras
Quæ citò. Præſtat & antiquis hic immo Prophetis:
Vaticinatur enim Malachias, munus ùt ille
Impoſitum impleret, velut Angelus, uſque monendo,
Ut viam in adventum Meſſiæ quiſque pararet.
Nec miſſus dudum antè Propheta æquabitur illi.
Majorem mulier partu non edidit ullum.
Ipſe ſinu è Patris, cœlo delapſus ab alto,

Hu

Humanis oculis illo minùs emico. Zelo
Ardet is; ac illo lux magna refulget ab igne.
Hinc Phariſæa cohors illum quærebat honoris
Sublimem in ſolio ſupra me tollere, ſicque
Splendorem obſcurare meum. Sed ſevocat à ſe
Ille omnes, digitum intendens in Numinis Agnum
Totius humani generis delicta ferentem.
Inde odium incurrit fictæ virtutis amarum,
Sanctum divexat quod Vatem in carceris umbrâ:
Spiritu at ille tamen cœleſti afflatus, ibidem
Se Verbi teſtem præbet, formidinis expers.
  Exactor vectigalis cum milite, quâvis
Aut maculâ infectus, verùm in Jordane piatus,
Inde Deum celebrant, illorum qui miſeretur,
Indulgens veniam ſyncero corde dolenti.
At Phariſæorum improbitas, Legiſque periti
Negligit emundans, monita etſi, intrare lavacrum.
Hinc dictis Jeſus fallaces denotat iſtis:
  Iſthanc progeniem quibus aſſimilabimus aptè?
Nonne fori in medio pueris clamantibus, Ohe!
Noſtra diu inſonuit læto jam tibia cantu:
Hactenus è vobis at nulli egere choreas.

Luctifica occinimus vobis quoque cantica; vestrûm
In gemitus verò, aut lachrymas non solvitur ullus.
Venit, & admonuit fidâ vos voce Joannes,
Nec panem comedens, nec vino abstemius utens
Angelicâ hunc tectum larvâ cacodæmona dicunt.
Filius advenit Mariæ, affabilis, inter
Conversans homines communiter, inter-&-esse
Non renuens epulis, ad mensam forte vocatus.
Vobis ille vorax, & vini potor, amicus
Peccantum fertur, præfectorumque tributis
Intimus, & cui fæx populi incessanter adhæret.
Verùm qui sapiunt, hinc summum Numen honorant,
Qui Pater est cunctis communis, & omnibus idem,
Munificus cunctis, cunctorum largus & altor
Conditione hominum neglectâ, parcere nescit
Queisvis vel mediis, cœlo lucretur ut omnes.
Rebus in adversis veluti, seu tempore duro
Nomen, & oppressi fama est lacerata frequenter
Linguâ ab adulantum, quæ quidlibet ambit ab aulâ:
Sic quoque captivi laceratur fama Joannis.
Criminibus falsis, quæ perfida fingit, & ornat
Lingua assentatrix, levibus placitura tyrannis,

Qui

Qui se nolentes turbari à Vate, ferebant,
Sanctus is ut famæ, & labem pateretur honoris.
Opprimit asperiùs sic aucta calumnia justum.
Qui Veri normam, virtutis & usque secutus,
Debuit ista pati, impietati cedere nolens.
Mundi, proh facinus! merces est illa, fidesque.
Os ubi sed veri, & justi sapienter opacas
Has nebulas, tenebrasque graves vi lucis abegit,
Sparserat in totam quas atra calumnia terram,
Respexit mundus mox omnis; tantus & auctor
Infirmos, nec sat gratos, corroborat: antè
Ignotum notum, fit & acceptabile spretum.
Decidit à justo ùt quandoque moneta valore
Legibus, in precium redit, æqua recognita tandem.
  Talia paulatim populum præconia vincunt,
Atque Sacerdotum bilemque, iramque movebant;
Essenos, Pharisæos, Herodisque clientes
Turbabant, Tonuit per rura, per oppida, & aulam
Hic sonitus laudum tantarum, terret & omnes.
Pontifices summi, Caiphas gener, & socer Annas
Consultum coëunt, subitum sufflamine quonam
Progressum sistant, seu quâ ratione morentur:

Et

Et Malchum ablegant templi ipsâ nocte ministrum
Mirum zelotem, haud Verumve, Deumve verentem,
Per fas, perque nefas modò dum tueatur honorem
Pontificum. Sublimis equo Macheruntis in arcem
Procedens, Herodiadi sibi credita defert
Scripta Sacerdotum. Lætatur at illa: priùsquam
Legerat, hæc quid scripta ferant. His illa monetur
Invigilare suis rebus: subitò esse premendum
Par hominum, tumidè nimium capita alta ferentum:
Præconem verò primùm, Dominumque deinde.
Nunc & agi rem de sceptro: si negligat, illam
Pœnituisse moræ posset quandoque. Colore
Nec specioso opus esse; dometur ut improba lingua;
Et majestatem discat, tantamque vereri
Reginam. Hoc monitum penitus, penitusque recepit
Illa libens animo: ùt potuit, sic seria, & apta
Hæc ad scripta dedit Caiphæ responsa ministro.
   Malche, tuis grates dominis ago proque favore,
Proque fide! Verè nobis, nostrisque paternè
Invigilant rebus: patrum sunt nomine digni,
Ob tam solliciti rationem pectoris. At quid
Consilii? Huc usque Herodes decernere nescit.

Di-

Dividiam cordis querimur noctuque, diuque;
Questibus & lachrymæ miscentur: sedulus illas
Tergere blanditiis certat plorantis ab ore.
Ast inflexibilis perstat, durusque negando,
Quod jam, sed frustra, toties Regina rogavi.
Tangitur ille quidem; placor sed vocibus istis:
Impiger, O Consors formosa! tui exequar ergo,
Quod potero: vir atest rigidus, sanctusque Joannes
Justus, & ad normam Legis zelosus, & ardens,
Quod siquando nimis: Doctoris jura, memento,
Ista ferunt: & mens testatur conscia, res sit
In quo nostra statu. Legis natura severas
Transgressa est metas. Adeò non nexibus arctis
Constringi, regale quidem sonat: invenientur
Neve David Rex, nec Salomon, nec originis ipsi
Auctores nostræ sat casti. Noster & error
Non ratione caret speciosâ. Nemo Propheta
Istud sed verbis non castigavit acerbis:
Expedit haud nobis sopitos sponte ciere.
Si, quotcumque hodie nos aversantur, in arma
Proruerent: Europa Asiam infestavit ùt olim,
Hic mox in nobis Trojam, Paridemque, Helenamque

Conſpicerem, velut & Menelaum in fratre Philippo:
Sanguineamque alter cantu renovaret Homerus
Iliadem. Ferro, & flammâ Macherunta viderem
Dirutam. Honor tuus an verò ſic tutior eſſet?
Prudens ergò ſile: reſque has patere eſſe quietas.
Interea probro, luctuque effundor inermis,
Impatiens imo hæc convicia pectore condens.
  Sic fatur mœrens, dirâque cupidine plorans
Vindictæ, quaſſo irâ vertice, terque, quaterque
Cæſariem excuſſit. Fruſtra placare furentem,
Solarique ſtudet Malchus. Verùm æſtuat intus
Corde latens rabies. Tandem ſedata parumper
Proſequitur: Mea nunc acuit vindicta mucronem,
Toxica ſeu miſcet. Sedeo violata, palàmque
Infamata. Diu, ſed dedecus iſtud inultum
Non fero. Si viſum eſt, noſtrâ tantiſper in aulâ
Euge! moras trahe. Natalis nam Conjugis inſtat
Annua lux noſtri celebranda: videbimus ambo,
Ecquid vindictæ feret hæc occaſio noſtræ
Placari ignaræ. Sceptri diſpendia, nec me
Corporis, aut animæ terrent. Hìc feſta diei
Expecta lætæ. Ipſa tuis nam forſan egebo

Con-

Consiliis: quodcumque potest prodesse, capessam.
Obsequitur Malchus dictis, precibusque monentis.
Fulgebat jam dicta dies sub vere recenti.
Comportabatur jam, quidquid lucis honori
Hujus festivæ poterat conducere quidquam.
Nunquam Jerusalem Salomonis tecta nitere
Majore aspexit luxu. Profusius aurum
Dum promebatur regali ex classe. Ministri
Certatim incumbunt operi; sudatque; movetque
Quisque manus, & quisque pedes. Sed defuit aulæ
Tempus adhuc: desunt operæ tam magna struenti.
Tecta viam Proceres carpunt ad regia: Matres
Urbano ritu, pro conditione, graduque
Excipit auläi Præfectus, in atria ducens
Vestibuli. Coëunt animis concordibus illi
Convivæ, dictâ, alternisque salute relatâ,
Inter se miscent comis commercia linguæ,
Regni sive ferat quid res, seu publica fama
Divulget: Jesu nec nomen ubique locorum
Diffusum reticent. Num Filius ille Davidis
Is foret optatus, capiti diadema Tiberî
Qui tandem auferret, sociis stipatus egenis

De vulgo adscitis Galilææ, piscibus autem
Nuper adhuc struere insidias assueta caterva.
Herodes, portam intrantes speculatus ab alto
Per clathros, tandem prodit cum conjuge, gnatâque;
Hinc, atque hinc lateri applicitis, utrâque Dearum
In speciem cultis luxu, fastuque superbis.
Assurgunt omnes; flexo dein poplite Regem,
Reginasque simul venerati, hac voce salutant:
Vivat, io! Rex Herodes cum Conjuge! Vivant
Fœlices ambo, atque diu cum laudis honore,
Cumque potestate, & cum majestate supremâ,
Utriusque velut proavi, utriusque parentes;
Atque supervivant sua vota, & gaudia Prole
Nobili in hac: & quisquis huic sceptro invidet hostis,
Hunc gravis e campo cogat discedere terror!
Sic plausus, sic vota sonant iterata vocati
Coetûs ad festum: adventum quibus ipse precatur
Rex faustum, ac hilarem. Post hæc aulæ interioris
Panduntur bifores; templique apparet imago
Mox oculis, vastus fornix, quem dives & auri,
Argentique laborati vis magna decorat.
Florifero tegitur pavimenti marmor ab imbre:

Hærent parietibus preciosa aulæa. Sabæûm
Munera convivis adspirant thuris odorem.
Mensa, gravis dapibus, jam dudum fessa morarum,
Illos invitat. Tum Rex, Accumbite, dixit,
O Proceres! nemo hic orari se patiatur!
Et simul in medio primus se collocat ipse.
At Regina thoro, cum prole, tapete recumbit
Instrato, sed ab opposito spectanda marito.
Alternis reliqui se composuêre vicissim
Vir, mulierque inter se, ùt mista columba columbo.
Argenti fundunt manibus gutturnia lympham,
Quas siccat mantile. Feruntur ubique canistris
Dona laboratæ Cereris, dein altera jugi
Fercula successu, linguæque, omnesque palati
Deliciæ. Fervet variis locus ille ministris,
Disparibus sexu, paribus sed flore juventæ,
Corporis & specie. Pateris spumantia vina
Funduntur, corpus quoque, & exhilarantia mentem.
Quicumque accumbit mensæ, superare videtur
Vicinum luxu. Per apertas integra portas
Involat urbs Macheron. Aulâ celebrabat apertâ
Nam Rex Natalem, populum interdicere nolens

Introitu; excipi at indulſit communiter omnes.
Nunc aliæ, ac aliæ menſæ ponuntur, & omnia
Atria panduntur. Plenis jam gaudia velis
Admittunt, quæ parent auræ, altùmque feruntur,
Alterum Ophir arcas in Regis copia fudit
Munifico cornu. Campi, ſylvæque, ferinæ
Multiplici genere evacuata fuiſſe videntur.
Citria, granata, heſperia, aurea poma, & olivæ
E ramis pendent, ori inſtillare parata.
Aura fragrans juſto moderamine, tota ſalubris,
Convivas reficit. Frænorum ignara voluptas,
Et luxus coëunt. Superat labor, arſque valorem
Materiæ, argentoque, auroque, & veſtibus, & quæ
Feſti hujus reliquo fuerant impenſa decori.
Nemo ſed meminit Captivi in carceris umbrâ.
Ille fame exanimis penè, & ſqualore peribat,
Nec minùs ipſe Deo, moderanti cuncta, fidelis,
A quo neglectus, velut à mortalibus, eſſe
Cenſeri poterat. Quantum eſt in rebus inane
Mundanis? Animo fixus, ſed mobilis æde
Diogenes locuples, & inops, à Rege potente,
Eripiente ſibi ſi ſolem, quem dare totis

Vi-

Viribus haud poterat, munus non ambiit ullum;
Is vitam lance, & mortem librabat eâdem,
Lætus eo, ac dives, cœlum quodcumque dediſſet,
Quod tribuit vitam, ac tollit. Sic alter Elias
Nec vim, neve minas ullas Jeſabelis, Achabique
Impavidus curat. Sua cuncta in fœnore ponit
Divitem apud Dominum, pacem, cum ſanguine vitam,
Cumque animâ corpus, famamque bonamve, malamve
Prodigit omne ſuum lætus; quò nomen Jëſu,
Ac honor in columen populi, mundique ſalutem
Altiùs aſſurgat, claràque in luce coruſcet.
Nunc ſcelus obducat prætextu quolibet aula!
Pontifices, Phariſæi, aut qui Verum odit, & æquum,
Ridentes tacitè ſibi plaudant, ſeque titillent!
Vulpinam penetrat pellem, larvaſque doloſas
Scrutator cordis, fallaces perſpicit artes
Aularum: novit Legem intorquere periti
Intima ſenſa animi; qui quidquid ſomniat, audax
Exequitur; longæque togæ cui fimbria, Legis
Sacræ inſcripta gerens oracula, lata ſuperbit.
O quàm tranquillum eſt tugurî latitare ſub umbrâ!
Nobile nec ſcutum, aut inſignia, nec numerare

Aut

Aut genus, aut proavos claræ longo ordine ſtirpis!
Sed cœli influxûs, ſtillam & ſolaminis unam
Sentire, id præſtat longè omni nobilitati:
Sic hilaris cubitu ſurges, hilariſque recumbes.
Nunc juvat Herodis ſpectacli abſolvere partes
Natalis tragicas, cæcæque, Helenæque furentis.
Convivæ indulgent epulis: ſed adultera ſævis
Incubat inſidiis. Huc qui poſſederat uſque
Pectus adulterii dæmon, prorumpet apertè,
Cum fœtore gravi truculentæ cædis, in auras,
Omnibus exemplo, horrorique in ſæcla futuræ.
Vernus ſol, epulum qui jam regale diurnus
Luſtrarat radiis, vultum condebat amœnum,
Quà ſeſe ſeptena per oſtia Nilus in æquor
Præcipitat, ſalſas & latè dividit undas
Cum ſpumâ, & fremitu undarum, quas haurit in altias
Montibus Æthiopum, cœlum qui vertice terrent.
Umbra nigras properat mox invectura tenebras.
Ergò diem renovant, quærentes lumen ab aureis
Lampadibus centum, ad pompam teſtudine ab altâ
Suſpenſis, circumlucentibus undique lychnis.
Rex hilareis pateram, Genitor bibere unde ſolebat,

Nec-

Nectare rite ſuo jubet à Ganymede repleri.
Conticuêre omnes. Tum Rex hilariſſimus alto
Clariùs à thoro, ut audiretur ab omnibus, infit:
Eſt hodie, Proceres, jam ſexageſimus annus,
Ex quo [ſic tribuente Deo] nos inter alumnæ
Brachia conſpexit primùm ſol aureus, aula
Tota quoque irrueret, fœtum intuitura recentem,
Gratatura meo Patri de prole virili.
Sub læto ſonitu clamabat quiſque tubarum:
Nominis ùt Patris eſt, ſic ſit virtutis & heres,
In regni columen, quod & incrementa ſub ipſo
Non pauca accipiat! Dictis his, impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro.
Conclamant omnes, plauſu reſonante, vocati:
Vivat, io! Rex Herodes cum Conjuge! Vivat
Ille diu, cunctoſque ſibi confundat iniquos.
Lætitiæ furor admiſſis erumpit habænis.
Circumit interea crater, menſamque frequenti
Nectare perfundit. Cœleſtis perſonat aulam
Muſica regalem. Geminum diadema ſupremus
Regni Præfectus profert, caput ambit utrumque,
Sub miſto vocum ſonitu, cytharæque, cheliſque,

Pſalteriique; vices alternas organa ſervant.
Omniaque Herodis nomen, laudeſque celebrant.
Suſpendit Proceres magna admiratio; bina
Quòd capita aſpiciunt rutilis incincta coronis.
Vincere lychnorum nam ſol adamantinus ignes
Penè videbatur. Regina haud pulchrior unquam,
Blandiùs in Regem gyrantia lumina torquet:
Unde illa, at ficto, quandoque pudore rubebat.
Sed juvat Antipam à menſâ ceſſare parumper,
Deſcenditque thoro lætus, menſæ antè ſecundæ
Quàm ponebantur. Reliquos mora nulla retardat;
Iſtud & exemplum, latâ ceu lege, ſequuntur
Nutus ad matris ſecedit prompta Salome
Conclave in tacitum [ſic nam convenerat antè]:
Convivæ interea inſtituunt celebrare choreas;
Vir priùs, & mulier ſoli; matreſque, virique
Dein jnncti paribus; mixtim modò conglomerati
In turmam. Reſonant paſſim lituique, tubæque,
Tympanaque, & quidquid caſtrenſis muſica poſcit.
Namque loricatas placuit ſaltare choreas.
Herodes ùt avus procedit, jamque recedit,
Antigonumve premit; qui cedens, ſeriùs, eheu!

Pro-

Projicit arma manu & pacem à victore precatur
Hic redit exultans, & honeſto pulvere ſqualens:
Intrat ovans, figitque inſignia in arce trophæa.

Interea prodit cultum mutata Salome,
Tam petulante inſtructa modo, quàm Flora, Quirites
Quæ teſtamento quondam ditaſſe refertur.
Mox ſaltatores cedunt campo: ſilet omnis
Muſica. Ea in manibus teſtudine prodit eburnâ,
Aures cunctorum ludens, ſaltanſque parata
Et voce, & fidibus mulcere, modo variante
Greſſuſque, & geſtus, oculos recreare, movendo.
Obvius ocurrit genitor, dat & oſcula natæ,
Atque à Pandorâ tandem vix abſtinet iſtâ.
Oſcula dat mater pariter: lachrymæque per ora,
Perque genas lætæ diſtillant, roris ad inſtar.
Dein veniam, curvata genu, à patre filia poſcit:
Ille dat extemplo; ut ſibi, totique exerat aulæ
Gnata ſuas dotes, venerum dulcedine plenas.
Hanc natura dediſſe, pedes à vertice ad imos,
Perfectam, & vultum ad matris finxiſſe videtur.
Signi inſtar formâ pulcherrima: membra movebat
Naturâ inſertos vel ſponte ſequentia mores.

Ambo natant oculorem orbes, duo ſydera blandè:
Formoſâ indè micat ſub fronte adamantinus ignis,
O ſi pictorum coryphæus adeſſet Apelles;
Huic ſibi pingendæ pigmenta deeſſe videret.
Quin Salomon, ſapiens quantumvis, canùs & annis,
Cederet illecebris his, inque idololatriam
Degenerans, Numen, furibundus amore, negaret,
Falſæ & thura Deæ plenâ vibraret acerrâ.
Tempus adeſt [capiunt jam tædia namque morarum
Convivas] hujus faciendi exordia ſaltûs.
  Illa pedes primùm lento, in præludia, greſſu
Dirigit huc, illuc, ſenſim ſed alacriùs inſtat,
Conſimili nervos motu teſtudinis urgens:
Orditur tandem, poſt hæc præludia, plectro
Sollicitare fides, & dulci guttura cantu,
Gnara pedes fidium ad numeros, vociſque movere,
Non vi, ſed temere. Hæc fidium & concordia vocis
Tam juſta, unanimi non diſpar eſt Hymenæo,
Quin potiùs teneræ cordis concordiæ amantum.
Florigerum ſertum, trepidanſque in vertice criſta,
Candidior veſtis nive, quam paſſim aurea ſpargunt
Lilia, cæſaries redolenti nectare rorans,

Au-

Auribus hærentes gemmæ, colloque monile;
Et fronti, variis diſtincto adamante lapillis,
Hoc, quantumcumque, haud adeo rapit aſpicientes,
Quàm circumſtantes ſe ſolâ faſcinat illa.
Nunc audite, quid illa canat! Mihi credite, Siren
Naufragiis inhiat, ſenſus mulcere parata
Quaſſatos, pulſoſque ſonis rapientibus aures:
Quidquid jucundum eſt, aut delectabile quidquid
Congeſtum velut in puncto rapit, & ferit uno.
Sic occepit enim: Facilè, O, quam, Fulvia, menti
Excidis Antonî; ſimul ùt Cleopatra virile
Actias obſedit pectus; noctuque, diuque,
Ille ſuæ Reginæ oculos ſuſpexit, & ora.
Heros Romanus, lateri qui fortiter enſem
Accingebatur, bellum moturus ad ortum
In Parthos, gladium ponit manſuetus, ad unum
Reginæ nutum; ùt gladius quæ deinde pependit
Ad latus adſtricti, ceu faſcino, amore potenti.
Heroi occurrit Cydnæo in flumine, miro
Ornatu, Thetidi ſimilis, conchâque marinâ
Vecta videbatur. Mox ille liqueſcit; Adoni
Non impar, laſcivæ occurrit mollis amator.

Dum Veneri, ludos, mimum, ſpectacla theatri,
Venatum, choreas, celebrat convivia, totus
Enervis; ſequiturque, trahit quòcumque voluptas.
Quod ſi Cæſar ovans Romam devicit; at illa
Victorem. Cecinit quoque, ùt illi Cæſar adhæſit.
Utque Jovem Danaë mutatum excepit in aurum;
Utque Venus Martem; multo ùt ſuffuſa rubore
Illa Deos vidit ſuſpenſos aëre in alto,
Dulcia ridentes Cytheræae furta venuſtæ
Alituum tremulas imitantia guttura voces,
Et, philomela, tuum exſtinctæ teſtudo ſepulchrum,
Omnia conſpirant æquè ingenioſa, canentis
Verborum doctè ad ſenſum variata. Colores
Iridis ùt varii ſplendente hìc luce coruſcant,
Hìc verò languent, ſenſim emoriuntur & illic
Nunc agili ſaltûs ſinuoſa volumina ducens,
Nominis Herodis deſcripſit ſigna meatu.
Conticuit teſtudo, parùmque quieſcere viſa eſt.
Intereaque ſoni cytharæque, lyræque, cheliſque
Illius audiri cœpêre in gutture miſti,
Et reſonare procul, ſenſim languere, ſuavi
Vocis temperie, rurſuſque aſſurgere, ſurdo

Mur-

Murmure vox tandem velut exanimata, ſilebat.
Ut poſtrema ſolet candelæ ardentis in imo
Pars calàmo; nunc aſſurgit, nunc deficit, ignem,
Poſt varios niſus luctantis luminis, efflat.
Velox è campo ſaltu ſe proripit uno
Denique. Ceu vulpes, ne fœtum prodat, & antrum
Indagatori, veſtigia nare ſequenti.
Senſit id Herodes; Herodiademque nec aſtus
Hic latuit Gnatæ: pertentant pectus utrumque
Gaudia. Præcipuè Regi placuêre puellæ
Feſtivæ dotes: genibuſque advolvitur illa
Flexa Patris. Reſonat mox ingens undique plauſus,
Convivæque omnes uno ſimul ore fatentur,
Conſimilem numquam Nilum aſpexiſſe choream,
Neve lepore pari id Cleopatram egiſſe, nec arte,
Coram Romano ſaltantem Heroë, potenter
Cui dominabatur, quàm regia virgo Salome.
Laudibus hanc omnes, omnes venerantur honore
Formoſam hanc animam formoſo in corpore natam.
Sublevat amplexu pronus Pater, atque rogantem
Confuſæ ſimilem, veniam, ſaltuſque placeret
Hic ſuus ut Patri. Gnatæ Pater oſcula fixit.

Ad-

Advertunt Proceres vim vini incendere Regem.
Spondet perque ſuum jurat diadema, caputque
[Ex Oriente velut Reges jurare ſolebant]
Illi ſe, quodcumque popoſcerit ipſa, daturum:
Dimidium regni qnamvis ſibi poſceret. Illa
Accipit hunc Regis reverenti ardore favorem.
Occupat at Mater verbum, Gnatamque prehenſam
In conclave trahit; ne ſit ſero, antè vaporem
Et quàm Rex vini efflet, conſilium optat inire
Cum Malcho. Inſtruitur monitis utriuſque puella,
Quid poſci expediat. Repetit cænacula voto
Oblato illa tumens, & firmâ voce Joannis
In diſco caput afferri ſibi poſtulat. At Rex
Obſtupuit gelidus, totuſque expalluit ora,
Pœnituitque reum jurandi juris; & iſtis
Virginis annuere optatis non pauca morantur
Plurima volventem. Haud verò pietatis id ergo,
Ne ſed honoris apud populum decederet, ingens
Et famæ pondus, cæli cui cultor eremi
Ille interpres habebatur, vir ſanctus, & inſons;
Quique laceſſiti temere tam cæde nefandâ,
Criminis ultores in apertam ſeditionem

Pro-

Proruere haud ægrè poſſent. Rex poſſit ab altâ
Sede jubere licet: tamen eſt mortalis, & ipſe
Mortales debet revereri. Purpura, ſceptrum,
Lictores, arma, excubiæ, non ſunt niſi larvæ
Revera vacuæ; at pueris ſplendere videntur.
At novere viri, quantùmvis propter easdem
Sæpe laboratur nugas, nullatenus inde
Naturam pendere hominis, nec eas ad eandem
Ullo etiam ſpectare modo; ſed corticis inſtar
Externum velare hominem: minimumque latenter
Poſſe locum explorare, & tempus fraudibus aptum;
Quin mulier quoque, ùt imperioſa Semiramis olim,
Aut Judith, diſcumbenti, lectove jacenti (cinctum
Ictum inferre poteſt. Potuit procerum agmine
Pauſanias furtim à tergo infeſtare Philippum,
Ipſâ etiam in mediâ feſtivi luce triumphi.
Hinc quid conſilii? Timet illinc verò cruoris
Ille canis ſitiens, cælo oblatrare ſupremo
Non veritus, Convivantum ne turba negantem
Perjurî, turpis ſeu perfidiæ inſimularent,
Arguerentque levem. Quid agat? Non certa pependit
Libra animi meditantis; ſed ſurſum, atque deorſum,

Alternante vices geminâ lance, itque, reditque.
Tunc pudor invaſit dubitantem. Quis pudor autem?
Tartareus ſanè, Proh! vertice in ebrio obortus.
Obfuſcante mero cerebrum: intereaque ſuſurrat
Auribus in dubiis clàm dæmon Apollio, Perge!
Ebrius inde pudor rationem vicit, & omnem
Expulit ex animo curam, timidosque pavores.
Mox vinum guttur redolens, & lumina pandens
Diro bina modo, Vade, inquit, perge Satelles!
Demete Eremicolæ caput! id mihi Gnata Salome
Offerat in diſco, maledicere Regibus auſum.
Nam ſylveſter homo, haud reverens Regisve Deive,
Majeſtate reus læſâ ultrò obnoxius, adfert
Culpæ judicium: formæ nec litis eget res.
Procedit juſſus, Malcho comitante, Satelles
Ad turrim. Inveniunt illic, de ſorte magiſtri
Triſtes diſcipulos aliquot, vigilesque fideles.
Quos à captivi nunquam divertit honore
Regisve impietas Herodiadisve libido:
Et datur haud ægrè, in documentum utcumque futurum,
Regem inceſſentis crudele videre cruenti
Finis ſupplicium. Sub noctis tempore, Regis

Im-

mperio, tetri panduntur carceris antra.
Audit, & intrantes tranquillâ voce ſalutat,
Corde hilaris, ſecurus, & absque pavore Joannes.
Reſpondens lictor cui protinus ore canino,
Semi-licet turbatus, ait: Poſtrema parandi
Te nunc ad mortem vocat hora. Sed ille, Paravi
Me dudum, retulit; mortis ſolaminis inſtar
Ictus erit. Venit, ecce, caput qui conteret angui,
Morti nempe, ſuis pedibus: mox inde reſurget
Vita immortalis. Stantes in carcere cernit
Diſcipulos fletu madidos; Chariſſimi, & inquit,
Num lachrymis id tempus eget? Tergitque fluentes;
Oſcula libando mœſtis poſtrema. Sed ite,
Addidit, & veſtro Meſſiæ dicite [teſtes
Eſtis enim] quàm relligioſè obnoxius illi
Obſequium exegi. Jam Lucifer, exoriente
Sole ſalutifero, diſparet; Lexque Moïſis,
Cedit, & Aronis quoque jam ceremonia Veri
Ultro ſplendori. Hìc tumidas exarſit in iras
Malchus, acerba tuens, &, Percute, percute! fatur,
O Præfecte, jubet Rex, expectatque moruram
Impatiens; properat nox! Juſſus deinde Joannes

Labitur in genua, & nudâ cervice mucronem
Sollicitat; longè & præ juſto juſtus Abele,
[Dum fraterna in eum rabies inſurgeret] inquit:
Agne Dei, ductor meus eſto in ſæcula! Eliæ
Ad rigidi, coram Domino, veſtigia duxi
Exemplum, inceſtûs vitium, violentiam & omnem
Arguere inſtitui; nec quid malè conſcius egi.
Suſcipe nunc animam Deus hanc! Simul enſe ſatelles.
Percutit elato, & caput ictu demetit uno:
Inque cruentato lapſus ter pulvere vertex
Subſilit. Exclamat Malchus: Sic, ſic malè vortat
Hoſtibus, exoſisque Sion, convicia in ipſos
Fundere Pontifices, auſique laceſſere Reges!
Dixit, & intinxit fumante in ſanguine telam,
Et ſpuit in capitis faciem furibundus hiantis.
  Audiri cantus, ſonitusque eſt viſus ab alto,
Angelicis fuſus linguis, celebrare Supremum,
Eſt cui Sanctorum ſanguis precioſior auro.
Urbem diſcipuli turbato corde pererrant,
Lamentisque replent. Quid non ira ebria patrat!
Eſt hodie proles Zachariâ nata, renata
Martyrii ſive in palmam, juſtamve coronam,

De-

Depoſitam Chriſti in regno, Vatique paratam.
Diſſimiles gemini ſimiles ſunt tempore feſti
Natalis. Veniet tempus, cùm ſera nepotum
Poſteritas, Jeſus poſtquam ſplendore micabit
Ceu pleno rutilante die, Natale videbit
Hujus Martyrii feſtum celebrarier anno
Quolibet, ornatu vario, templique ſacratis
Ritibus. Excepit diſcus caput aureus; inter
Traditur ille manus lætantis deinde puellæ;
Quæ matri bene grata redit; ſimul atria plaudens
Ingreditur; menſis hilares ubi gaudia miſcent
Convivæ, diſcum ante patrem mox collocat, & ſe
Adjungit matri; quæ nunquam lætior antè,
Gnara parùm, gnatæ cœlum quid deſtinet olim;
Dum glaciem ſuper exultans, hiſcente gelatâ
Cruſtâ undæ, gladium à glacie experietur acutum:
Irritata Dei cùm falx citò demetet iſtud
Luxurians lolium, rationemque exiget ultrix
Sacrilegi ſceleris, quo nunc menſa illa ſuperbit:
Saltatrix ſacri petulanter verticis ictu
Linguam pungit acûs, hæc inſultantia ſubdens:
Aſpidis effrænem pungo hâc ego cuſpide linguam.

Illa ſuo Matris cor eſt petere auſa veneno
Lethali: idque virum, me judice, dedecet omnem,
Qui leges, moreſque bonos, doceatque pudorem.
Convivæ effundunt permiſtis ſcommata ſannis:
Hic novus eſt, ajunt, jungendus Aquarius aſtris,
Ecce, pede eſt brevior nunc, quàm priùs eſſe ſolebat!
Quàm bene vaticinans minuendum ſe fore dixit?
Circumiit menſam, pulſu promota, paropſis.
Quî potuit cœlum, noctu quod mille videbat
Hæc rutilis ſtellarum oculis ſpectacula, inultè
Iſta pati? Patitur verò mala quanta; priusquam
Exigat à meritis pœnas Deus? Horrida ſcenæ
Sic finem facies, exordia ùt impia, ſumpſit.





JOANNIDOS
LIBER SEXTUS.

Jamque aries niveo Phœbæam lampada tergo
Sumpſerat, auratisque repagula Veris amœni
Cornibus impulerat, ſolito pro more juvencos
Ad juga compellens; Malchi rota præpete curſu
Cùm rapitur currûs agitata Sionis in arcem,
Emiſſique inſtar teli, Caïphæ involat aulam,
Solliciti, ac ſuſpenſi animo, velut & Socer Annas,
Ad Chriſti famam, ejus & incrementa labantem
Pontificum ſedem timidi ſtabilire laborant,
Suffocare novam & peſtem [ſic namque vocabant]
Antè ſibi exitium quàm natum forte dolerent.
Approperanti igitur Malcho bene uterque precatur;
Atque avidi rogitant, ſolaminis adferat ecquid
Moſaïcæ Legi. Non Vox deſerta pererrans,
Reſpondet Malchus, clamore ferociet ultra.

Jam nunc de famulo actum eſt, Dominusque ſequetur
Ipſe brevi. Simul & ſudaria tincta cruore
Protulit in lucem ſacro, & porrò profatur:
Ut veni, vidi, vici. Obtruncatus arenâ
Præcurſor jacet in mediâ. Victoria noſtra eſt.
Sic, ſic hauritur ſanguis, quo ſeditioſa
Febris ali, & toto diffundi corpore poſſet!
Principibus templi grates Regina rependit
Pro vigili curâ: indiciique id ad inſtar habebit
Affectûs in ſe veſtri, Regisque ſalutem,
Herodisque poteſtati vos fidere mandat.
Si quid in augmentum veſtri ſolerter honoris
Poſſit apud Regem; cupidè id præſtare paratam
Se fore promiſit, & in omnibus officioſam;
Inviſus Mitræ quamvis ringatur Aronis.
  Tum retulit choream, & natalis gaudia feſti,
Herodisque hilaris jusjurandum, atque Salomes
Ingenium, ac dotes, Herodiadique fuiſſet
Ipſe ùt conſilio, tantis in rebus agendis,
Et ſeſe ad mortem Sylvanus ùt ille pararet.
Tum decurriſſet noctu quot millia currus
Per nemora, & ſalebras, per invia, & avia, colles,

Tesqua per, & valles, læta hæc per nuncia summis
Principibus gratandi ergo, illorumque favori, ut
Se commendatum vellet. Superaddidit autem;
Si visum est, Patres, Jesus capiatur ut armis;
Ipse in fronte adero: vitam cum sanguine Mitrâ
Fundam pro vestrâ. Clament è fæcis Idumæ
Colluvie concreta cohors licet, attamen istam
Gratis accipiunt famam, plausuque secundo.
Invidiâ plenum at repûtant, sic prodere coram
Plebe, Sacerdotes sese immiscere gerendis
His rebus. Gratum sed erat latuisset in aulâ
Quod secretus, & à mensâ se continuisset;
Ne Dominos, à queis legatus venerat illuc,
Proderet. At censent consultum, Præsidem ut ipsi
Hujus commoneant facti; se fama priusquam
Publica diffundat latè. Ad Prætoria gressus
Ergò ferunt, scanduntque gradus gravitate decente
Marmoreos, Malcho Dominos præeunte ministro,
Exploraturo, an multo tam mane Pilatum
Affari vacuum sit. Duci mox jubet ille
Intra tecta Sacerdotes; illique sequuntur:
Quò deducuntur famulatu Præsidis aulæ:

Pontius excepit venientes porticu in amplâ,
Quæ quinquaginta ſerie unâ nixa columnis
Porrigitur pariis: audita, rogataque Præſes
Secum perpendens inopinæ nuncia famæ,
Illorum contra ſic eſt effata locutus:
Rumor Eremicolæ ùt primùm pervenit ad aures;
Omnia ſollicitè inquiſivimus. Illius ardor
Me nil turbavit. Peregrinas relligiones,
Jurgia Hebræarum non curat Roma ſcholarum.
Illa ſuo ad placitum procedant libera more.
Inter ſe moveant rixas quantumlibet acres.
Jurgia veſtra modo dum non capitalia tangant.
Sylvicola hic vetuit nunquam dare juſſa tributa,
Nec turbas unquam, medio in fervore. Tiberi
Obniti imperio docuit. Sic fama ſiniſtra,
Nec metus in juvenem potuit cadere ullus inermem,
Qui diſciplinam armigeros, moresque docebat,
Et majeſtatis dominatum ſuſpiciebat.
Unus at è Gaulon cladis civilis alebat
Diſcrimen, quartam templi progignere ſectam
Contendens tumidè; hoc etiamnum tempore fervens,
Cæſaris imperio non vult obnoxius eſſe;

Sed

Sed nec eum in Dominum ratione agnoscere quâvis,
Asserere in libertatem sed seque suosque.
Ad festum huc veniunt: nec vos obstare potestis
At novi, nec erit longum, capita ista minutim
Conterere; etsi sacrifico cum sanguine sanguis
Miscendus Galilæus erit. Non talia nobis
Sunt toleranda diu. Ad Jesum quod pertinet autem,
Ejus apud populum famam, nomenque celebre
Nec formido, nec invideo: nisi rite probetur
Cæsaris impressam faciem, Augustique monetam
Hunc, exactori persolvi posse, negare,
Excutere aut fasces Romanos, atque secures,
Jus gladii, & vestro ad statuendum more tribunal
Præter & Augustum, Dominum non norit adhærens
Illi turba alium, pauper victu, & capiendis
Piscibus in stagno Galilææ intenta, magistri
Legibus auscultans, mundana haud munia quærit,
Nec dominandi avida est. Sententia dura, recenter
Lata per Antipam & rigida est. Romana vetat Lex
Crimen adulterii incesti, vestra haud secus ac Lex.
Semi-sed Herodes Judæus jussa Moïsis
Negligit ista sequi; cunctis ùt res in aperto est.

Id ſed prætereo: ſatius verbum vel malo nec unum
Hoc in judicio capitis, ſub nocte peracto,
Proferre ulteriùs. Namque [ipſo interprete] Regni
Jam nimis illius rebus me immiſceo gratis;
Et, cum vicino prudenter ſumper alendæ
Rixarum cupidus, diſrupit vincula pacis,
His dictis, dimiſit eos: ſuntque inde regiſſi
Pontifices & ponè legit veſtigia Malchus.
Inde at in innocuum deſerti immane colonum
Judicium Solimam volitans accendit ùt ignis
Arbitrii lance in proprii quod quiſque pependit
Seu leve, ſeu grave: pro affectu, quo quisque movetur.
At recti, verique tenax, & fortis, & audax
Chuſa, vir eximius, cui credita cura, Sionis
In monte, aulæ Herodis erat, vulgata Joſepho
Ex Arimathæo hæc percepit nuncia, triſtis
Ob ſcelus a Domino ſuâ in ebrietate patrato
In juſtum, inſontemque virum: ſic voce Joſephum
Affatur mœſtâ: Quanti res plena pericli eſt,
Convicti ſceleris geſtantes ſceptra monere!
Cauſa die medio quamvis ſit clarior ipſo.
Præſertim metuendus erit tractabilis ægrè

Foe:

Fœmineus ſexus ſi ſtrinxeris ejus honorem
Duriùs: ille ſuæ nam fræna libidinis odit;
Effrænisque ruens, hominesve, Deumve vereri
Negligit; ùt quaſſat licet integra regna tumultus,
Nec, ſi letho hominum ſternantur millia, curat.
Parcere vel neſcit ſibi: dum maleſana libido
Vindictæ cæco in corde æſtuat: inſtar aheni
Quod bullit, ſpumasque ciet vi fervidâ ab ignis,
Aëra veſtigat vacuum, ſuper effluit, undas
Cedere compellit ſpatio, capiente liquoris
Majorem longè vim. Nunc velut alter Achabus,
Vineam ob innocui Naboth immanè tyrannus
Debacchatur. At hic Meſſias, neve Joannes
Poſſidet ullum agrum. Sed Eliâ pauperiores,
Durâ pauperie preſſi per rura vagantur:
Ales habet nidum, vulpecula poſſidet antrum:
Ambo ſed hi nudi, ſpreti quoque ab omnibus errant,
Diſcipulis cincti nudis quoque, & omnium egenis.
Hinc ego dilectæ uxori permitto Salomæ,
Quò volet ipſa, ſequi Jeſum, & ſuccurrere egenti.
Illa ſuis opibus, alias imitata Marias,
Pauperiem levat. At jubeo ut cautè, atque latenter

Id pietatis agat munus: ne occasio detur
Hactenus obloquii. Res aulæ namque ministro
[Corruptæque adeò magis aulæ, ac nostra] molesta est,
Obsequium præstare adeò; ut non causa repulsæ,
Inveniatur; ubi rectum obliquatur, & æquum.
Uxorem nostram clarâ sat voce Joannes,
Cerneret ùtsi rem coràm, crudele Magistri
Mortis iter docuit: Messiæ ùt & illa fidelis
In finem, corpus vix ter sole ungeret orto;
Si non è tumulo jam surrexisse videret.
Damnatum, quíd miramur, capite esse Joannem,
Dum Pharisæorum invidiam perpendimus? Ira
Hæc acuit nuper truculentum dira mucronem;
Messias quoniam bis senum mitteret omnem
In terram numerum; illius qui semina Legis
Spargeret, & signis firmaret ubique stupendis.
Non id Pontifices tolerent, nec lege periti;
Dummodo non vires, nec eis reverentia desint.
Christi, utùt íd celant, decretam hinc censeo cædem.
Sedulus interea scrutabor cuncta, silensque
Tuque adverte animum, quænam hìc incendia gliscant.
E fumo possunt, atque exhalantis odore

San-

Sanguinis agnosci, Gens insuper illa, cruore
Quæ Zachariæ Adytum maculavit, templa, nec aram,
Neve Deum verita est violare, immanis, & effrons,
Vivit adhuc. Zelo quantumvis condat, & ornet
Busta Prophetarum. Heu miserum! Quid proficit aurum
Impensum templo, aut tumulis; putredine sordet
Dum cor pollutum, & scelerum fœtore redundat?
Non Regem valeo maculis absolvere culpæ,
Qui temere est ausus fraterni fœdera lecti
Polluere, incestoque sibi conjungere fratris
Connubio uxorem, quam jam quoque detinet illi.
Indole mansuetus, justus, sapiensque Philippus,
Nulli hominum gravis unquam, affabilis, atque mo-
Sorte suâ vivit contentus: inutile spernit, (destus,
Quidquid habet luxus; sequitur nec longus euntem
Ordo satellitii: quin vectus equo, ilicet inde
Descendit, redditque suum jus cuique petenti:
Virtutis cultor, rigidus quoque criminis ultor.
I nunc, & similem in Pharisæis quære tenorem.
Justi, æquique, bonique! Hinc illi odêre Philippum,
Pravaque commendant Herodis facta. Videre
Jam videor nubem densam ex oriente profectam

De-

Deferri, ulturum gnatam procedere Aretam;
Armaque confertos Arabes quatere, & Galilæos;
Inque ſolo Herodis pugnam tentare cruentam:
Sanguine, proh! quanto conſtat laſciva libido?
Stragibus, heu! quantis populi', terræque ruinis?
Sole, dieque diu exorto, Macheruntis in arce
Herodes ſerò expergiſcitur, ebrietate
Jam tandem exſtertâ, temereque quid egerit, impos
A potu mentis, perpendit ſeriùs, eheu!
Injuſtè cæſum haud adeò dolet eſſe Joannem,
Quàm jusjurandum ſeſe ſervaſſe profanum.
Hac ad vindictam populum in ſe cæde timebat
Commotum fremere, atque inſurgere millia multa
Turmatim, ſceleriſque reum invaſura cruenti.
Jamque furens, amensque, per atria cuncta vagatur,
Cuique ſeris clauſa affatum negat aula petenti.
Diſcipulis cæſi vix, non niſi luce ſequente,
Supplicibus tandem auditum concedit: & illi
Afflictique rogant, mœſtique impenſiùs orant,
Funeri ut huic ſaltem perſolvere juſta liceret:
Exiles, humileſque preces, ratione gravantes
Non ullà regnum. Summis, imiſque ſilet nunc

Os

Os iſtud mutum. Propter nec bella gerentur
Defuncti oſſa viri, placabit & irrequietum
A pœnâ ſibi juſta dari, munusque ſepulchri.
Maturè Herodes ſecum rem penſat utrimque;
Non adeo durus perſtat, velut oſſa ſepulchro
Invideat. Truncum conceditur ergo cadaver,
Hac ſub lege, locis equidem procul inde remotis,
Quò turbas caveant, & jurgia, contumulandum,
Impoſitum efferrent aſinis. Animalia bina
Diſcipuli lecticâ onerant, quæ clauſa cadaver
Celaret; priùs & quisvis quàm conſcius eſſet,
Sub noctem proficiſcuntur; ceu juſſerat aula:
Oſſaque ſic terra excepit vicina Sebaſtæ,
Heroum in tumulis; ubi nempe Eliſæus, & heros,
Abdias requiem inveniunt, duo ſydera quondam
Clara Prophetarum, zelo fervente ſacratâ
Certantes pro lege Dei, regnantis Achabi
Tempore, ſub Jeſabel mala paſſi multa, probati,
Per velut Herodem, cum pellice, multa Joannes.
Tres igitur requie hìc in ſede fruuntur eâdem,
Oſſaque ſacra, modis pridem excruciata nefandis,
Plurima clareſcunt operando mira: fugantur

Monstra sui in barathri antra, modis ululantia diris:
Omnigenæque opis à populo visuntur egente.
Afflicto in loculum procumbunt corde, priusquam
Hinc divelluntur: fatum ob crudele Magistri
Lamentantur, & extremum Vale dicere certant:
Angele, nunc dormi, & securà in pace quiesce!
Certasti ad finem certaminis: erudiisti,
Exercens nos per jejunia multa, precesque,
Castigare vias veteres. Jordanis ab undà,
Dum membra ablueres, nos ad Baptisma salutis
Montrasti, officium ad Jesu, corpusque, animamque
Qui simul emundat. Nos hunc, velut antè monebas,
Indagatum imus, fido vestigia gressu
Deinde secuturi. Vale! Tunc ex ore sepulchri
Emergunt scalis, Galilæa cacumina porrò
Transgressi tandem, instituunt iter ad maris oram;
Jesus ubi populo æternæ documenta salutis
Larga dabat: sua fata cui proliχiùs illi
Evolvunt tristes. Quibus hæc memorantibus, ille.
O lachrymis nolite, inquit, deflere Joannem,
Cœlestis Sponsi Paranymphum! Mortuus ille
Non est, at dormit, claràque in luce resurget.

For-

Fortior excutiet, brevis eſt mora, dextra ſoporem.
Ibo, quieſcentemque animarum in carcere viſam,
Ille ubi nunc generis Patres noſtri, atque Prophetas
Regeſque, & Juſtos omnes, quos mors tulit olim,
Adventu noſtro ſolatur, lapſus ab alto
Qui cælo, ſua membra velut caput, ibo refectum,
Captivosque iſtos obſcuro carcere ſolvam,
In-que veham luci, ſtatuamque ante ora ſupremi
Numinis. At canite haud partam palmam ante, trium-
Acre præire decet certamen. Si crucis urget (phum!
Tempeſtas validè; nimbi durare furores
Et dabitur, Pater ipſe manum dum præbeat uni,
Et ſibi dilectæ ſoboli, quam miſit ab alto.
Nam priùs Herodes illum præbebit amicis
Ridendum, ac albâ, Judæi Regis ad inſtar,
Ludibrium cunctis, transmittet veſte Pilato;
Componuntur & inter eos dum jurgia tandem
Iſthoc ludibrio, Galilæam improperantes
Æterni Patris haud Gnatum appellare verentur.
Jam generi Regnum video cum milite Aretam
Oppugnare ſuo Herodem cum pellice, Româ
Vindice, in exilium pelli, ſceptroque, thronoque

Exutum. Sed ſtabit honos per ſæcla Joannis.
Temporibus condet ſeris Auguſta ſacellum
Ad vada Jordanis, ſpeluncâ rupis in ipſâ
Quam dudum incoluit, vitæque ubi luce refulſit,
Dignæ laude, Deo placitæ, munusque peregit.
Diſcipulis tutò interea vos addite noſtris!
Transfretat hinc mare, quod Galilæam ſeparat undis
A terrâ Galaad, mediâ de ſorte Manaſſis;
Se procul Herodis conſpectu, ut condat eremo;
Illum inquam plebes quâvis ex urbe ſecuta
Nil præ progreſſu illius ferventiùs optat.
Nunc proferre lubet, quonam iverit umbra Joannis
Tramite, corporeâ penitus jam libera mole;
Quò, nemora umbroſa inter Patrum nuncius iret
Manibus; ut Chriſtus Domini, jam lapſus ab alto
In terras breve poſt tempus, diſſolveret omnes,
Cœloque inveheret. Namque ipſâ à luce dolendâ,
Quà miſer à fidei obſequio deflexit Adamus,
Et Deus hunc juſtus vindex nemore expulit Eden,
Non ſolùm in terris manſit mortalibus hortus
Invius, at cœli pariter porta aurea toti
Clauſa fuit ſtirpi, manſitque. Iter ergò Joannis

In-

Infernale ſecuturo, & clarâ expoſituro
In luce, eſt opus, Angelicum ut ſe miſceat hiſce
Carminibus guttur, trepidantis & ora Poëtæ
Cœleſti, adſpirans modulis, corroboret aurâ.
Cœlicolæ Genii, qui, animis in laude ſupremi
Numinis abrepti, cœli per fornicis altos
Arcus ſueviſtis voces, cantuſque rotare
Perpete concentu, ſummo deſcendite cœlo;
Angelicum Juvenem, poſito jam corpore, mecum
Ducite ad infernas ſedes, veſtigia Patrum
Sectantem veterum. Raphaëlem, quæſo, fidelem
Impetrate mihi comitem, ne devius errem
Hæc arcana vagans inter! Delabitur, ecce!
Meque docet: dictis aures, & lumina luci
Præbeo; nec vereor ſpectra, aut cacodæmonis iras.
Inferni lacus, immerſus cui Lucifer hæret,
Os aperit, patulæque voraginis hiſcit hiatu
Immani. Latum per iter pedibuſque, quadrigiſque
Itur: mox per ſilices, per teſqua deinde
Horrida, & inculta. Immenſis it ſemita ſpiris
Arctior, atque aliter, quàm climax, tortilis autem
Haud conchæ abſimilis, punctum coëuntis in unum,

Principio lux alma viæ haud omnino negata,
Languescit sensim; ac ubi tam penetrare profundè
Desinit, incipiunt tenebrosa crepuscula noctis;
Sol velut, occidui limen maris altiùs infra,
Lumine adhuc modico perfundit marmoris undas,
Quod tu nec tenebras, nec posses dicere lumen,
Confusum sed nocte diem, lucemve tenebris.
Hìc itur, lunâ veluti de nocte micante:
Sydereus quando vigilans excercitus ardet,
Atque agit excubias adamantina mœnia circùm,
Ex quibus Ambitio delabens prona ruebat:
Fraternis dum Spirituum succincta catervis
Insurgens, est ausa Dei tentare coronam.
Dux erebi in medio solium sibi fixit abyssi,
Noctis amans, fumos, sulphurque, interque mephitim,
Antrum horrendum, ingens, & formidable spectris,
Impiâ & oppletum turbâ. Illic quisque reatûs
Pro merito, fornacibus in ferventibus ardent;
Intolerabilibus sive in fœtore cavernis
Constipantur acervatim. Quibus excruciandi
Principe ab inferni cura est commissa nocentes.
Munus tortores peragunt, rigidique tenorem

Ju-

Judicii, immitesque sibi data jussa sequuntur.
Advehit hic plenas cumulato sulphure cymbas:
Perque graves nebulas, quaquà fert unda carinas,
Ardente in fluvio nunc huc, nunc remigat illuc.
Ille pice, ac oleo flammis alimenta ministrat.
Hic maledicentem candenti forcipe linguam
Corripit, atque premit, clavoque terebrat acuto.
Alter & è furcâ pendentis tundit ahenis
Terga flagris, fluidi rivo manante cruoris.
Suscitat hic ignem flatu, ille incendia nutrit,
Dimovet aut prunas, cineresve: alimenta frequenter
Ad nova conclamat; quæ confert turba ministrûm
Monstrifera, horrendas miscens hominumque, fera-
Effigies, variis, confusaque vultibus ora (rumque
Terrificis, rictûsque simillima signa leonis
Tygridis, atque lupi, inter aprumque, ursumque, draco-
Omnes artifices scelerum, sicâque, venenoque (nis.
Experti; laquei, clavæque, uncique periti.
Siqua dies usquam est; hic nox horrenda pererrat:
Acta nisi validè densata volumina fumi,
Prægnantisque diu, pariunt fera fulmina tandem.
Quò suffocatis dentur spiramina flammis.

Hic

Hic ſtrident, ſtringente gelu præ frigore dentes.
Alteri anhelando vitæ ſpiramen ademtum eſt:
Namque ſiti premitur nunquam ſatiabili ab æſtu,
Qui penitus fauces, atque arida guttura torret,
Nunc ubi volvuntur vini petulantiùs utres,
In quibus, in ſellâ veluti, ſe lurco locabat
Ebrius, inſumens noćteſque, dieſque bibendo,
Donec vinipotens ab equo ſe ſterneret heros?
Quid congeſta juvat vis auri, pectus avari
Quod tenet obſeſſum, infamique cupidine partum?
Quo ſe condiderit ſceleratus livor in antro,
Invidiâ cujus teritur cor ob bona fratris
Non nocitura ſibi? Quid dira ferocia prodeſt,
Ultio, crudeliſque effuſio ſanguinis ulla?
Illa ubi ſanguineis immergitur uſque fluentis,
Sed nunquam ſubmerſa, tubam clangore feroci
Audit, vindictam, cædem, ignem, vimque ſonantem?
Sive quid inceſtus, violandæ ſive pudicæ
Virginis infœlix prodeſt amor, integritate
Cœlorum caſtis oculis quæ caſta placebit?
Temporis exigui carnis laſciva libido
Vapulat hic, ferri ſpinis impoſta, cremante

Igne pedes. Requiem deſes non invenit uſquam,
Curæ præ ſtimulis, animum turbantis inertem,
Neglectum propter temere irrevocabile tempus.
Heu! quantâ ad pœnam rabie delicta trahuntur?
Heu! quanto, at ſero, ploratur culpa dolore?
Quàm pœnis optant culpam ſe poſſe piare,
In ſacco, & cinere, lachrymis, jejuna trahentes
Tempora, & inſomnes; modò ſi remigrare liceret
In terras, rurſuſque Deum ſibi conciliare,
Jam memores, tempus quantillis effluat horis
At fruſtra: quemcumque Dei ſemel ira gehennæ
Adſcripſit, nunquam inferni lacus evomit ore.
Ardua ſcandenti nimis eſt via. Turba ſevera
Eſt vigilum nimis; orbati ſpe namque ſalutis
Ipſi etiam, quodcumque negant in clade levamen
Damnatis, aut lux ut priſca refulgeat illis.
N3 Namque ſiti premitur nunquam ſatiabili ab æſtu,
Qui penitus fauces, atque arida guttura torret.
Nunc ubi volvuntur vini petulantiùs utres,
In quibus, in ſellâ veluti ſe lurco locabat
Ebrius, inſumens noctesque, dieſque bibendo
Donec vinipotens ab equo ſe ſterneret heros?

X Quid

N3 Omnes hi versus delendi sunt, nam per incuriam hic repetiti sunt et debito suo loco habentur pag 160 a versu 375.

Quid congeſta juvat vis auri, pectus avari
Quod tenet obſeſſum, infamique cupidine partum?
Quo ſe condiderit ſceleratus livor in antro,
Invidiâ cujus teritur cor ob bona fratris
Non nocitura ſibi? Quid dira ferocia prodeſt,
Ultio, crudelisque effuſio ſanguinis ulla?
Illa ubi ſanguineis immergitur uſque fluentis,
Sed nunquam ſubmerſa, tubam clangore feroci
Audit, vindictam, cædem, ignem, vimque ſonantem?
Sive quid inceſtus, violandæ ſive pudicæ
Virginis infœlix prodeſt amor, integritate
Cœlorum caſtis oculis quæ caſta placebat,
Temporis exigui carnis laſciva libido,
Multigenas ſcelerum formas, & nomina pœnæ
Prætereo variæ miſerarum fervido in æſtu
Hocce querelarum. Serie enumerare liceret,
Quanta tyrannorum, ſeu quanta idololatrarum,
Conjuratorum quoque nomina quanta tumore
Ipſam in naturam, inque Deum, Legemque Moïſis?
Omnes, convicti manifeſtâ in luce, tremiſcunt
De ſcelere extortâque invito è gutture culpâ.
Altiùs ire juvat, damnatâ ſede relictâ.

Celi-

Celſior eſt ſedes, animas leviore coërcens
Pœnarum genere. Hìc macularum ad rite piandas
Relliquias, nondum elutas ſatis, opperiuntur,
Spe lætâ plenæ, patienter tempus, & horam;
Quæ penitus mundas cœleſtibus inſerat aſtris.
Hinc Machabæorum famâ celeberrimus heros,
Argenti vim non modicam collegit; eorum
In ſolamen, in ardenti cum ſanguine vitam
Qui dederant pugnâ, ſpoliis fortaſſe profanis
Polluti; Solymis ut propitiatio, ſacris
Oblatis, fieret, precibus quæ juncta piorum
Redderet exortes pœnæ, cœloque dicaret.
* Tertius innocuos placidè complectitur orbis,
Queis primi propter Patris contagia culpæ,
Hactenus occluſi penetrare in limina, lucem
Et cœli haud licuit; Deus ipſe ubi lumine in alto
Sublimis reſidens, ſplendentia luce Cherubim
Colla premens, monſtrat vultum, ſoliſque micantes
Extinguit radios; veluti ſol ipſe minora
Sydera, quæ noctu diſperſa per æthera purum,

* Enumeratio, quam hìc Vondelius de variis animarum Sedibus facit, magnam partem Poëticæ fictioni tribuenda eſt.

Lucidiora micant flammas imitante pyropo,
Protinus obſcurat, ſimul ùt caput extulit undis.
Non dolor hìc, ullam nec flagrum ſævit in umbram,
Quæ ſtirpi concreta malæ, rationis & uſus,
Liberi & arbitrii, vivæ ſat mentis & impos,
Machinæ huic mundi magnæ Omnipotentia quando
Detrahet exuvias veteres, bonitate ſupremi
Numinis inſtimulata poteſt ſperare futurum,
Ut ternâ exoriens, circumdata luce perenni,
Jam renovato, iterum victura, reſurgat in orbe.

Ordine ſupremus ſub terrâ continet orbis
Antiquorum animas Patrum, pro tempore paſſas:
Juſta brevi, qui poſt, ac ante obiêre Noëmum
In Domino, & carnis molem impoſuêre ſepulchro;
Inque ſuo nemore errantes, impenſiùs optant,
Spe pleni, Chriſtum, columenque, unumque proborum
Solamen. Quin, heu! prodis, o Chriſte? gementes
Exclamant: Patrum prænuncia tempora ſtirpi
Effluxêre modò: vim priſcis addito verbis
Nunc promiſſa, Prophetarumque oracla, figuræque
In quibus his oculis te cernebamus ab ævis,
Ceu luce in mediâ, decedant protinus umbræ.

Vivificæ luci, atque tuo in caligine mersos
Splendore illustra, & vultu dignare beato!
Talibus orabant: cum lumine Phosphorus ardens,
Justitiæ solis prænuncius ille Joannes
Sublabens terræ nemora hæc umbrosa repentè
Eminus illustrat: simul umbra recedit ad ejus
Lucem, manè velut, dum prima crepuscula cœlo
Diffundi incipiunt. Philomelæ nuncia lucis
Vivificæ simul ac capiunt primordia, somno
Excusso, tremulis resonat mox vocibus omnis
Latè sylva, micat niveis dum roscida gemmis.
Undique dulcisonus penetrat se cantus in aures.
Jam ramos per lauricomos, myrtique videres
Brachia deferri volucres. Chorus aliger omnis
Sylvarum resonæ raptus per gaudia vocis,
Atque sui cantûs, magno in discrimine fertur,
A subito nisi lætitiæ sibi temperet æstu,
Naufragium isto ne patiatur in æquore vocum.
Haud aliter plaudunt Patres, cùm Præco Joannes
In nemoris portam, ingressi post terga reclusam,
Regressum nulli patientem, strenuus intrat
Signatum antè viæ per iter, labarumque, quod Agni

Monſtrabat ſpeciem, impreſſum quoque nomen Jëſu
Attollens manibus, greſſum mox fixit in iſto
Umbroſi nemoris ſpatio. Circùm undique latè
Quicumque errabant, huc confluxêre citati.
Mox exultantum ad ſonitus, & clara triumphi
Indicia , inferni monſtrorum turba cavernis
Erumpit ſeſe, frendetque, rugitque, ululatque,
Ringitur, & ſpumat, dentemque in dente fatigat,
Non ſperata pavens ſubitò ad ſpectacla: videbat
Nempe ſubobſcurâ nemoris lætantis in umbrâ
Summâ in fronte micans ſydus, velutique pyropus
Exardens rutilat, fulvo circumdatus auro.
Spectra priùs rabidas adeò efferventia in iras,
Diffugiunt diverſa locis per opaca viarum
Agni ad conſpectum, & Jeſu venerabile nomen
Ad Styga. Non aliter quàm turba cruenta luporum,
Paſtor ùt evigilans prædones voce, pedoque
Strenuus, impavidusque ſuo depellit ovili,
Diffugiunt rabidi irâ, mandibulaſque moventes,
Frendenteſque furore, ſuam inter crura retractam,
Spe lapſi, rauco lingunt cum murmure caudam.
Quo meliore modo evolvam, exultarit ùt ultra
Om-

Omnem læta modum plaudentum turba parentum?
Non ſecus ac cives obſeſſâ in ab hoſtibus urbe,
Undique concluſâ, pulſatâque ariete crebro,
Arctiùs oppugnatâ, tormeutiſque petitâ
Terrificis, ſibi, promiſſas noctuque, diuque
Suppetias avidi expectant tutore ferendas
A valido; ùt primæ prorumpunt impete turmæ,
Atque è ſublimi Regis vexilla coruſcant,
Tunc animus gliſcit populo, feſſuſque morando,
Speque fatigatus, cœlumque reſurgit in altum.
In portis tunc ſigna micant, fluitant & ab arcis
Culmine multiplici. Præludia certa triumphi
Claſſica læta ſonant. Animus tunc deficit hoſtem
Aëre in hoc fervente, vias ſcrutatur & omnes
Quò tempeſtivè fugiendo evadere poſſit.
Compoſuit ſeſe in mediâ tunc ſede Joannes.
Sicut apes repetunt alvearia vimine texta,
Sic hoc in ſpatium patribus coëuntibus unum,
Ergò bene eſt! [clara tunc cœpit voce Joannes]
O properat ſanctiſſimus Agnus, & hoſtia vera!
Siſtite fumifera ergò incendia inutilis aræ
Hic mactandus adeſt; culpas ſimul eluet omnes

San-

Sanguinis effuſi labem mundante lavacro.
Hoc dicens Agni ſpeciem in labaro indice monſtrat.
Hunc in eâ Patres venerantur, prætereuntque:
Amramides verò non prætergreſſus, ad illum
Reſpiciens, Juvat hunc iterum venerarier, inquit,
Poſt modicum, Thabor in vertice montis, Elia,
Exemplare tui vivo, comitante; beatum
Meſſiæ vultum, rutilantem ſolis ad inſtar,
Cui cedit tua lux, oculis his cernere coràm
De ſuo ubi Genitor Gnato teſtabitur. Ille
Candidiore nive apparens in veſte loquetur,
Quàm ſe crux maneat gravis, & quàm pulchra corona.
Tranſit is; & ſequitur Soror hunc incincta Maria
Fœmineo cœtu, ſub cantu tympana pulſat
Exiliens: ſonitus lituique, & cymbala miſcent.
Haſce Tribus choreas imitatæ, ponè ſequuntur.
Poſt hos Nunides graditur, comitante Calebo,
Magnanimus Ductor populi, qui ſicca fluenti,
Jordanis vada conſpexit, Jerichuntis & urbis
Muros, ac turres, clangore impulſa tubarum,
Audiit immani lapſu trahere alta ruinam.
Judicibus poſtrema acies ceſſit, Gedeonem,

Sam-

Samſonemque videt fortem Jephtenque triumpho
Ex Ammonitis, Effraimitiſque celebrem,
Lamentabiliter verò ſua vota luentem;
Unica dum reduci exultans occurreret hæres.
Deinde pius Samuel, Judex, pariterque Propheta,
Geſtat adhuc olei cornu. Veſtigia Vatis
Jeſſææ ſequitur ſtirpis generoſa propago,
Inclytus & Vates, regni diademate fulgens.
Candida eum ſtipat ſeries, hilariſque canentum.
Is citharâ canere inſtituens, præconia cœli
Numinis, ad numeros ſimul exilit ante Joannem:
Ut quondam Solymis præcedens fœderis Arcam
Hac celebri pompâ dum proveheretur in urbem.
His Præco modulis attentas præbuit aures.
Ille canit: Mœſtis Lux tandem fulget in umbris
Exoptata diu, ſtatuens oracula noſtri
Carminis, & priſca obſignans promiſſa ſalutis.
Gratia cœleſtis ſuperat miracula mundi
Producti ex nihilo, & notam vim Patribus olim;
Vim, quæ diſpeſcens tumidas rubri æquoris undas,
Abramidas ſicco duxit pede per vada terram
In Canaan, populoque jugum Pharaonis ademit

Hebræo. Gemimus nos hoc in carcere, nigrâ
Sub tellure, tot elapſis jam tempore longo
A ſæclis. Habitant hic muta ſilentia, & horror
Vox avium nulla, in ſtirpem de ſtirpe volántum,
Perſonat hìc; radiis non ſólis pervius uſquam
In nemore hoc locus eſt; roris nec guttula gramen,
Nec florem reficit; tenuiſque, & marcidus aër
Absque colore parit flores, fructuſque ſaporis
Expertes. Mutís hæc eſt data terra gementum,
Spe firmâ Sólymam cœleſtem aliquando videndi,
In quâ voce Deo ſolvemus debita laudis
Unanimi, æternumque uno celebrabimus ore,
Absque modo, & fine fine. Haud poſſum non reminiſci
Carminis antiqui; quàm ſit Deus uſque fidelis,
Promiſſique tenax; quî portas franget ahenas
Per Chriſtum haſce ſuum, valvasque, & limina pandet
Carceris; inferni laqueis, & compede ſolvet
Hanc animam, ſpoliumque ſuum cœli inſeret aſtris.
Angelicus dudum cecinit chorus; accinit illis
Carminibus ſacris mea vox: Nunc pandite veſtras,
O cœli Proceres, cœlórum pandite portas.
Splendore accinctus Rex, nunc anathematis inſtar
Spre-

Spretus, & attritus, ceu vermis, felle, & aceto
Potatus, procedit ovans, deque hoſtibus ultus
Se victor cunctis, ad dextram denique Patris
Collocet ut ſeſe: cœleſtis turba ſedentem
Hunc ubi thure pio, demiſſo vertice adorat
Luminis in medio, immerſumque in lucis abyſſo.
Dum ſeſe interea gentes, mors, dæmon, & omnes
Proſternent hoſtes victoris, more ſcabelli,
Sub pedibus. Juſſu ipſe Dei, & ſtimulante ſuperno
Afflatu, carmen tunc connubiale, triumphoſque
Illius pridem cecini; nunc verò juvabit
Ex ſermone tuo [Rex inquit] cernere vultum,
Atque Dei ſpeciem, humanâ ſub imagine tectam:
Ejus namque tuæ potes efformare figuram
Officio linguæ, viviſque coloribus illum
Spectandum præbere: [& ſubſtitit omnis euntum
Longa Patrum ſeries.] Radii, jam ſole ſalutis
Exorto, O Juvenum tibi fæliciſſime, pleno
Offulſêre die: Interpres fidiſſime, fare
Quis, qualis, quantuſque ſit exoptatus ab ævo
Non paucis, citharâque meâ celeberrimus olim
Præ natis hominum veluti ſpecioſior unus.

Tum ſic Præco loqui: Veterum O fortiſſime Regum!
Quî parere negem votis tam juſta rogantis?
Carminibus licet ipſe tuis depinxeris illum
Ad vivam veluti ſpeciem, dudum antè, priuſquam
Me Deus, ut quidquid vaſtum, incultumque jacebat,
Excolerem, accivit, rectam, planamque pararem
Voce viam Heroi, tua quem per carmina ſignas. (eſt,
Non brevis, aut longæ, at mediæ, erectæque ſtaturæ
Egregius formâ, gravis, & ſpectabilis ore, (que:
Et vultu. Hunc, quicumque vident, venerantur, amant-
Blandus namque trahit ſibi corda, jubetque trahendo.
Fuſcus ei crinis, ſummas & planus ad aures,
Cæruleor criſpus cincinnus ab auribus, undat
Orbibus, & nitidè cervicem, humeroſque pererrat.
Dividitur, Nazarræo de more capillus
Verticis in medio. Simplex eſt frons, hilariſque,
Vultus ùt & reliquus, maculâ, rugâque carentes,
Reſplendent blandè. Juvenili denſa vigore
Barba bifurcata in pectus delapſa ſupremum
Incumbit placide, ſimilisque colore capillis.
Vividus aſpectus, lento nec lumine torpens.
Aſt alacer, vigilis deſignat mentis acumen.

Glauci

Glauci resplendent oculi, quos desuper ornat
Grande supercilium, pulchro curvamine nigrum.
Sic docet, atque monet blandè; duro increpat autem,
Terribilique modo. Vos expectate morantem
Non ultra! Mea lux ejus prænunciat ortum.
Tum series Regum præclara secuta Davidem est,
Falsorum cultu non conspurcata Deorum.
Ordine majores quatuor mox deinde Prophetæ
Fatidico vultu. Post hos duodena minorum
Turba Prophetarum, Doctores gentis Hebrææ,
Vultu hilares, tranquilli animo, & solamine pleni.
Amosides sociis loquitur verba hæc Isaïas:
Nunc nostræ tandem columen, gentisque redemptor
Expectatus adest; Heu! antè sed ad lanienam,
Agnus ùt innocuus, mitis mutusque, trahendus.
Cui sic Præco refert: Populis ego sedulus Agnum
Indice monstravi, de quo tu, magne Propheta,
Vaticinatus es antè diu. Non dextra periti
Pictoris tabulæ telæve coloribus ullis
Imprimat hunc adeò ad vivum, quàm, maxime Vatum,
Tu, famulante stylo, hunc humilem, pressumque, cruci-
Damnandum, in scriptis graphicè mirâ arte dedisti.(que

 Bu-

Buzides mox Ezechiel ſimul ora reſolvit:
O Zachariæ, inquit, Soboles! hunc cerno, ſalutis
Expletum patienter opus poſt grande; canente
Sub cœtu angelico, curru vectante Seraphim,
Et ſtipante Sacerdotum, Regumqne coronâ,
Omne ſuper ſpatium cœlorum, in regna Parentis
Altum deferri. Quatuorque animalia, loris
Nexa jugo, inque orbes delata ex orbibus imis,
Reſpiciunt, curvantque genu venerantia prono
Vertice, devictæ imperio de mortis ovantem.
Luce è cœleſti ſunt ſingula quattuor orta.
Primum, lucidior ſtellis eſt, & placidus Bos
Aurea fronte gerens, terrentia fulminis ignes
Cornua: quæque pedum rutilis nitida ungula gemmis,
Celſum calcat iter [noctu quod lacte relucet
Candidiùs] ſydusque inter velut aſtra recenter
Emicat apparens: bos in certamine arenæ
Qui palmam auferret: ſolus ſimul aureum ut annum
Occipiat dignus. Generoſi forma Leonis
Huic conjuncta jugo, gemmis, auroque micante.
Jam non horrendo iraſcens rugit oris hiatu.
Cervicem juba denſa tegit, deſcendit in armos

Hinc,

Hinc, atque hinc in utrumque latus. Regina volucrum
Hunc Aquila exultans ſequitur plaudentibus alis:
Hoc ſe augere jugum, & dignam ſe gaudet haberi
Regna triumphantem in ſua quæ deducat euntem,
Vectum indefeſſis cœli in ſublimia pennis.
Quartum, Hominis ſpecies, curſuque apparet Ephebus
Aliger, ex humero enatis pulchro ordine pennis.
Cærulea, aſtrorum rutilo perfuſa nitore,
Membra fluit circùm facili ſinuamine veſtis.
Hac in cœlorum culmen quis major Eliâ
Subvehitur pompâ. Poſtremus in agmine Vatum
Hoc tanto, exclamat Malachias voce ſonorâ:
Hìc ego non Hominem contemplor, at Angelum ab alto
Demiſſum, deſiderium cœleſtis & aulæ
Meſſiæ Præcurſor adeſt, qui præparet æquam,
Directamque viam Domino. Dein fulmina belli
Proceſſêre Duces, manibuſque, & pectore fortes:
Quos inter famâ Matathiæ clara propago.
Pontificum, generiſque omnis confuſius agmen:
Fœderis & feries veteris ſic tranſiit omnis;
Deceſſitque novæ, quæ, jam matura ſuorum
In ſcenam proferre parat primordia; quorum

Ille

Ille senex Simeon princeps erat, inter utramque
Ulnam qui Jesum meruit gestare tenellum,
Talem gavisus Solem illuxisse tenebris
Gentibus obsessis. Jam prælibata salutis,
Vicinæ spirant è vultu exordia Vati;
Et procul, O nobis, ait, huc ades ergò Joannes?
Hoc labari Nomen novi, venerorque figuram
Hanc Agni. Collo unde tuo hæc rubicunda cicatrix
Emicat? Anne tibi caput hoc Herodias ausa est
Impia, Proh facinus! crudeli avellere ferro?
O tu martyrii primâ decorate coronâ!
O tuam, apud memores, quæ, mortem fama sequetur!
Quanta tuo surgent insignia nomine templa;
Quot, tui ad exemplum, ferienti colla securi
Præbebunt læti! Abrami de semine cretis,
His quoque, qui, licet haud adeo carnaliter, ejus
Se de stirpe satis accensent, grande per ævum
Subsidium præstare potest; pro Numine sanguis,
Magno apud Æternum in pretio, profusus, habetur.
Hoc imitatorum numero gaudere Joannes
Jure videbatur, paradiso gente dicatâ.
Cùm læta innocuûm Puerorum turba, cruenti

Qui

Qui gladio Herodis ruerant, pernice volatu
Adſtitit exultans quod ſe de Virgine matre
Natus martyrii primo decorarat honore;
Cantabant Domino laudes, non absque frequenti
Verticis, & genuum inflexu de more Cherubim,
In cœlis D mino præconia digna ſonantum.
Anna quoque acceſſit, vidua illa, graviſque ſenectâ,
Noctes atque dies quæ totum penè per ævum
In templo exegit jejunans, caſta, precansque.
Ut verò in nemoris caligine Præco, tumultu
Sub tanto, vidit Genitores, ocyùs ambos
Amplexu ſtringit: lachrimæ præ gaudio obortæ
Rore trium vultus ſpargebant ubere. Joſeph
Meſſiæ Matris Sponſus, ſeſe addidit illis.
His ſpatiabatur comitantibus ergò Joannes,
Sermones inter dignos probitate loquentum.
Scenæ is apud Manes fuit hujus denique

F I N I S.

JUSTI VONDELII

ODE

SAPPHICA.

In Regiam Davidis Citharam.

Quisquis affectat Citharam Davidis
Vincere; is, tamquam Genius rebellis,
Numinis libat ſolium, ruitque
Pulſus ab alto.
Lingua cœleſti ſaturata rore,
Tinctus auro ceu calamus, vagatur,
Qui levi ductu tabulas pererrans
Docta propinat.
Belgico Hebræum ſequeris cothurno,
Vondeli, Vatem: neque te priorem
Æmulum novit Citharædus heros
Ponè ſequentem.

Senſa

Senſa quò vivis modulis revelet,
Hic premit Cantus, itidemque tollit;
Aſperam ut frontem feriat: ſua olim ut
Funda gigantem.
Seu ſonos vocis tenuat, gravatve,
Dedecet Regis diadema nunquam,
Balſamo hoc unctum caput, & probatum
Judice cœlo.
Carmen, haud vani ſoboles cerebri,
Fœderis gazas veteris novique
Continet; narrat, docet, & precatur,
Pungit, & ungit.
Arte contextâ ſcatet os canorum
Laude Paſtoris vigilantis Iſrêl,
Qui ſuas vivis reficit bidentes
Sedulus undis.
Paſcit in pratis; iter & per æquum
Ducit, & rectum; malè nequa tutum

Intret; omneſque inſidias luporum
Arcet ovili.

Diſſipat primas Deus hic tenebras:
Machina hæc mundi artificis potentem,
Et manum largam, ſapientiamque
Monſtrat ubique.

Fornicis cœli radiat volumen;
Aëre in puro volucres vagantur;
Vivit & tellus, tumiduſque partu
Perpete pontus.

Abrahæ cauſam Deus ut tuetur;
Expavent omnes; ruit ultione
Cinctus, & gaudet fluido cruore,
Percitus irâ.

Intonans nimbus rapit incitatum;
Ignis eſt ſurſum, tenebræ deorſum:
Conterunt, findunt fera fumigantes
Fulmina montes.

Rivus areſcit: juga, ùt igne cera,
Diffluunt: campos pecus icta ſternit,
Splendor aularum cineris jacet vi
Obrutus omnis.
Gens ferox nuper, nimiùm infidelis,
Et procax, pallens fugit in cavernas.
Rupis exeſæ, latitare quærens
Jeta pavore.
At genus ſanctum liquidis parat ſe
Gaudiis plaudens; hilares piorum
Præmium cantus glomerare multâ
Laude ſonantes.
Cymbalorum ſub ſonitu, & monauli,
Tympanique, inter medias puellas,
Cœlitum voces imitante plauſu
Æthere in alto;
Aula feſtivas agitat choreas,
Regis & Sponſæ obvia gratulatur

Veſte quæ pictâ, nitidâque pectus
Velet, & artus.
Gentis, oblitamque domûs paternæ
Una delectat ſpecioſa ſponſi
Forma; flos eſt nam Juvenum, caputque
Agminis omnis.
O decus Bethlem! Lapides movendo
Voce concordi citharæ canoræ,
Verus Amphion, Solymam incelebrem
Nubibus æquas.
In Salem templum, rutilantque tecta
Principis: bellum hìc, ſtatuuntque pacem:
Huc iter vergit populi frequentis
Sole ab utroque.
Mulcet & templi cava perſonando,
Rupis aut voces ſtreperas loquacis,
Seu ſub umbroſæ foliis cedri, ſeu
Pinguis olivæ.

Mons Sion illi eſt Heliconis inſtar;
Rivus & Cedron Aganippicus fons;
Muſa, divina eſt Sapientia, olli
Carmina dictans.
Dum ſtylo tanti rapitur cothurni,
Ad Babel Cedrus trepidat ſecurim.
Exit è terrâ Amramides Canopi.
Effluit unda
Rupibus duris: mare torpet, amniſque:
E ruinis urbs oritur reſurgens.
Filius priſcûm male - confitetur
Facta parentum.
Interest Vates Superûm ſenatû:
Indicat Chriſtum, genus expetitum;
Regium, ac ſacrum decus; & ſtupenda
Illius acta.
Ecquis haud flagrat; vetus oſculatur
Dum novum David, præit & figura
Veri-

Veritatem ipſam, lapidem unientem
Angulum utrumque?
Cordis hic norma optima pœnitentis;
Vindici ſupplex jacet advolutus;
Diluit nævos lachrymis reatûs
Emaceratus.

A Deo infixæ penetrant ſagittæ:
Pectus immani laniant dolore.
Hoſtibus preſſum, propriiſque noxis
Quæ fuga ſervet?

Numen huc aures adhibet benignas;
Solis ac inſtar, fugat has tenebras;
Lachrymas clemens, gemituſque ſiſtens
Lumina ſiccat.

Ille tormentis animi ſolutus
Hinnuli exultat vitulantis inſtar,
Victimis grates agit immolatis
Exhilareſcens.

Glo-

Glóriam Muſa hæc aperit Tonantis,
Et decus Regni ſine fine monſtrat,
Vita ubi conſtans habitat, voluptas
Neſcia luctûs.
Hìc micat, nulli patiens videri,
Vultus: hoc in lumine ter beato
Muneri examen vigil Angelorum
Limina ſervat.
Scandit ùt montem Domini medullâ
Numinis cultûs pedibus refertis,
Innocens, purus, ſine felle ſimplex.
Hoſtia nulla,
Nullus aut hirci, vitulive ſanguis
Hìc placent, longè at magis innocentis
Spiritûs, mœſtique, humiliſque digna
Munera cordis.
Improbi [exclamat ſuperis ab oris]
Tenditis quid ſic temerarii arcum?

Figitis Regis Superûm pupillam,
Pignora sacra.
Lachrymas quorum, & fluvios cruoris
Colliget tandem miseratus ille:
Has opes spretas ut ad ultionem
Servet, & iram.
Ignibus zeli propè cor voratur;
Dum nimis fervens rapit hoc amoris
Æstus in Legem in lapide exaratam,
Et sacra templi.
Lex Dei præ auro preciosa multùm est;
Dulcius nec mel animis amaris:
Illa spem firmat: Citharæ hæc diurna, &
Nocte loquela est.
Lex domat fastûs ea vanitatem,
Qui velut torrens fugit incitatus;
Fertur ùt pulvis; velut umbra transit;
Præterit ùt flos,

Penna

Penna vel ceu per vacuum volucris.
Æquâ in hac librâ levis eſt homo omnis.
Vita quid veſtra, O fatui, videte,
Gloria quid ſit!
Ut leo ſurgit Dominus Deorum
Excitus planctu viduæ, & pupilli:
Pauperum vindex tumidos citabit
Ante tribunal.
Judices hiſce alloquitur profanos,
Dona, ſed non jus, avidè ſequentes:
Dî licet ſitis, moriemini autem
Morte tyrannûm.
Quinque chordarum paribus tyrannos,
Regna ſunt quorum penitus reciſa,
Vinculis ſtrictos vehit ad Sionis
Alta triumphans.
Hoc Tribus plaudunt hilares triumpho,
Et vident, multùm attoniti, Gigantum

Ut ſuum portas tetigit minutim
Fulmen ahenas.
Charitas fratrum hic redolet, ſuave ùt
Balſamum, in barbam recidens Aronis,
Roſque in Hermon per juga celſa làbens.
Hìc bona caſtæ
Cantat uxoris, vitulantis inſtar
Vitis expanſæ; ſoboles utrimque
Circuit menſam, veluti novellæ
Matris olivæ.
Ventilat gentem, ùt paleas, iniquam;
Ferreæ aut hanc conteret ira virgæ:
Gramen eſt vile; horrea non replebit.
Numinis alæ
Denſa cor verò tegit umbra rectum,
Palma quod tamquam Libani vireſcit,
Quæ ſimul ſolis patitur calorem, &
Frigora brumæ.

Or-

Orpheus noster rotat astra cantu;
Æquoris mulcet tumidos furores;
Stat leo mitis, cicures volucres:
Audit & arbos.
Viperæ nescit modò lingua virus,
Nec timet cervus laqueos, dolosque;
Ipsa mansueto fera tigris hausto
Lacte renata est.
Lacte depulsus fugit ad parentem,
Non opis quærendæ adeò, illa vitæ
Quàm tuendæ ergo, necis ad tremenda
Tela minantis,
Excubat coetus vigil Angelorum,
Servat electum genus, & fidele;
Strenuè pennis vehit id ministris,
Portat & ulnis.
Cantor hic circùm vehit acer Arcam
Auream, rebus gravidam sacratis,

Vocibus cultam, fidibus, tubisque.
Luna novella
Luce perfundit meliore Vatem:
Mox tabernaclum inſtruitur virore;
Quo dolor cedat; veterisque luctûs
Lachryma ceſſet.
Hìc fluit lac, mellificuſque ſuccus;
Arborem vitæ locus ille nutrit;
Hìc ſalutaris fluit unda; tutus
Portus & hìc eſt;
Blanda lux cæcis; medicamen ægris;
Pauperi gazæ; ſtimulus Poëtis:
Hìc fide ſugit, modo apis rapacis,
Cœlica mella.
Deficit tandem mihi vis anhelo,
Aureum quando diadema necto,
Annulis centum, deciesque in unum
Quinque mnile;

Addere

Addere & collo studeo quod Uncti.
Nil nisi hìc purum: hìc & adulterum nil.
Præter oracla, haud sonus alter auram
Pulsat, & implet.
Æmulum, O! nescis, Citharæde Princeps!
Pindarum, Flaccumque premis Lyristas:
Excitas Reges fidibus canoris.
Ossa, tuusque.
Jam cinis dudum periêre; dudum
Purpura absumpta est tua dente vermis:
At Deo coram, populoque semper
Musa vigebit.

F I N I S.

